Viro pl. Ven. — Bruna

an. a.

DISQUISITIO

DE

PAULO RELIGIONIS CHRISTIANAE APOLOGETA.

EX TYPOGRAPHEO J. VAN BOEKHOVEN.

DISQUISITIO

DE

PAULO RELIGIONIS CHRISTIANAE APOLOGETA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

GEORGII GUILIELMI VREEDE,

IURIS ROM. ET HOD. DOCT. ET PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

MARIUS ANNE NICOLAUS ROVERS,

Franequeranus.

A. D. VI M. DECEMBRIS, A. MDCCCLX, HORA II.

Traiecti ad Rhenum.

T. DE BRUYN.

MDCCCLX.

MATRIS DESIDERATISSIMAE MEMORIAE

PIE SEMPER COLENDAE

PARENTIBUS

PRAECEPTORIBUS

D. D. D.

SCRIPTOR.

CONSPECTUS.

ERRATA.

Pag. 26	not. 1	reg. 4:	*quae*	lege:	*quam.*
„ 27	not. 1	„ 19:	*au*	„	*du.*
„ 64		„ 7:	*Rom. VII*	„	*Rom. VIII.*

C. C. L. B.

PROOEMIUM.

Nulla sane doctrinae theologicae pars est, de qua virorum doctorum sententiae tantopere inter se differunt, quantopere de Apologetica. Quod dicenti mihi nequaquam animo obversatur aetas, quae Schleiermacherum praecessit, quum de disciplina apologetica, hoc nomine digna, sermo esse vix potuit: sed principes scriptores cogito, qui postea huic disciplinae operam dederunt. Quod Schleiermacherus 1) a disciplina nostra petebat ut religionis christianae naturam exponeret, nimis universe dictum videbatur Cll. von Drey 2) et Sack 3), quo

1) „Die Apologetik ist die Darstellung des Christenthums, wodurch es eine eigenthümliche Glaubensweise ist." *Darstellung des theol. Studiums.* Cfr. in primis § 32—42.

2) „Insofern die Philosophie der Offenbarung in ihrer Anwendung auf das Gebiet der Religionsgeschichte tritt und Rücksicht nimmt auf die geschichtlichen Gegensätze und deren Beurtheilung, wird sie Apologetik." *Apolog. als wissenschaftliche Nachweisung der Göttlichkeit des Chr., in seiner Erscheinung*, I pag. 9.

3) „Sie sey die theol. Disciplin von dem Grunde der chr. Religion als einer göttlichen Thatsache." *Chr. Apologetik*, pag. 1.

iudice eius est ostendere religionem christianam re in facto posita eaque divina tamquam fundamento niti. Qualem eam tum vulgo habent, tum se ipsa praestat, hoc Apologeticae, auctore Steudelio 1), ita est probandum, ut inde tam ad scientiae, quantum fieri possit, firmitatem quam ad efficacem huius iuris commendationem proficiatur. Lechlero 2) autem, quocum facit Hagenbach 3), munus Apologeticae hoc est, ut ostendat religiones christianâ antiquiores partes esse unius corporis disiectas, cuius integritas et perfectio sit religio christiana. Verum huic opinioni adversatur Haenell 4), nostram quippe religionum illarum cognitionem a perfectione longius abesse censens, quam ut comparatio cum religione christiana institui possit.

---

1) „Sie sey die Anweisung zur möglichst vollständigen Kentniss, zum befriedigsten Geltendmachen der vorliegenden Gründe, aus welchen wir recht thun das Christenthum als dasjenige anzuerkennen, als was es gilt und sich gibt." *Grundzüge der Apologetik für das Christenthum.*

2) Ipso auctore exponit: „dass die vorchristlichen Religionen zerstreute Glieder eines Leibes sind, dessen Einheit und Vollendung das Christenthum ist." *Ueber den Begriff der Apologetik, Stud. und Krit.* 1839 III. p. 608.

3) *Encyclopädie und Methodologie der theol. Wissenschaften.* Ed. IV p. 278.

4) „Die Apologetik ist die Wissenschaft von dem unmittelbar durch den H. G. gewirkten subjectiven Glauben an Christum, als dem der Kirche und der Theologie gemeinsamen Grunde." *Stud. und Krit.* 1843 III, pag. 619.

Minus inter se discrepant Doct. Pelt 1) et Kienlen 2), qui Apologeticam vocant doctrinam ipsorum, quibus tum doctrina tum vita christiana nititur, principiorum. In patria nostra Clarisse 3) eam sic definit ut sit: „demonstratio et defensio religionis christianae veluti in scientiae formam redacta." Cll. Hofstede de Groot et Pareau 4) iudicant eam esse: „philosopham religionis christianae praestantiae indagationem et expositionem, huiusque partem quidem esse, sed modo ignobiliorem, defensionem."

A Peltio non magnopere dissentit sententia Doct. van Oosterzee 5). Clar. Doedes 6) hoc tantum Apolo-

---

1) „Sie ist die Wissenschaft von den letzten Grundlagen des Christenthums als Lehre und Leben, eine allgemeine theologische Principienlehre." *Theol. Encyclopädie*, pag 377.

2) „Die Wissenschaft von der Aufstellung und Vertheidigung der Principien der allgemeinen Christlichen Lehre, welche jeder Chr. Kirche zum Grunde legen müssen." *Die Stellung der Apolog. in den theol. Wissenschaften. Stud. und Krit.* 1846 IV, pag. 903.

3) *Encyclopaedia Theologica.* Ed. II pag. 222.

4) *Comp. Dogm. et Apolog. Chr.* Ed. altera § 72.

5) „Zij is de wetenschap van de wijze, waarop het christendom verdedigd moet worden en van de beginselen, waarnaar die verdediging moet worden ingerigt." *Jaarb. voor wet. Theol.* 1845, pag. 26.

6) „Ons zij de Apologetiek de theorie van het verdedigen des christendoms. Zij moet zijn eene wederlegging van de bezwaren, twijfelingen en tegenwerpingen, waarmede

getae munus tribuit ut religionem christianam tueatur a dubiis et accusationibus in eam prolatis.

Nuperrime in Francia Doct. Viguié 1) eam vocavit disciplinam, qua constare oporteat de salute singulorum. Postulat enim ab ea ut inquirat in peccatorum nostrorum gravitatem dolorumque acerbitatem, inde ortam quod lege divina haud continemur, tum exponat, quomodo unice in Jesu Christo doloribus illis et cruciatibus et malis solatium, sedatio medelaque sint parata.

Sic igitur de munere Apologeticae adhuc sub iudice lis est. Non minus vero dissentiunt viri docti ratione loci, quem ei in disciplinis theologicis concedi oporteat. Alii primum locum ei tribuunt in Encyclopaedia theologica, in his Schleiermacherus, cuius theologia philosophica continet Apologeticam cum Polemica coniunctam. Hunc

---

het christendom wordt aangerand, zonder dat het haar verboden zou zijn ook op die bezwaren, twijfelingen en tegenwerpingen te letten, die, al zijn zij juist niet te berde gebragt door den vijand, welken men bestrijdt, ook vroeger reeds gemaakt zijn of zich uit den geest des tijds laten voorzien." *Jaarb. voor wet. Theologie* 1850, pag. 9 sq.

1) „Elle est la science de la réalité du salut personnel, elle doit rechercher la loi divine de notre être, montrer combien nous sommes en dehors de cette loi, sonder la profondeur de notre péché et de notre souffrance, et exposer comment en J. C. seul toutes ces douleurs trouvent leur consolation, ces angoisses leur apaisement, ces misères leur guérison, ces contradictions leur harmonie." *Histoire de l'apologétique de l'histoire réformée en France*, pag. 12.

secuti sunt Lechlerus et Haenell 1). Denique Viguié divisit Encyclopaediam in theologiam apologeticam, historicam, systematicam et practicam.

Ab his vehementer dissentiunt Hagenbach 2), Pelt et van Oosterzee, qui disciplinam nostram minime a theologia dogmatica separandam esse censent. In Straussii 3) opere Apologetica continet partem Dogmatices, quam formalem dicunt. Kienlen 4) eam exponit in prima parte theologiae pastoralis. Et quum alii inter Apologeticam et

---

1) Dicit nostram disciplinam „die Kirchenbegründende," quam sequuntur „die Kirchennorminende, leitende und geschichtliche Disciplinen."

2) „Die Apologetik darf sich nicht von der systematischen Theologie entfernen, sondern indem sie ihr den Boden vindicirt, muss sie ihr vorangehn und Bahn machen, sei es nun dass sie die Einleitung zur Dogmatik bilde oder selbstständig ihr Ambt versehe, immerhin wird sie es in Dienst der Dogmatik und in Hinblick auf sie thun. Sie hat sonach ihre eminente Stellung allerdings an der Spitze der Dogmatik, nicht aber an der Spitze des gesammten theol. Studiums ein zu nehmen, wohin sie Schleiermacher verwiesen hat." l. l. p. 277.

3) *Christliche Glaubenslehre.*

4) „Woher nämlich soll denn diese Wissenschaft die Kenntniss des Wesens des Christenthums und der christlichen Gemeinschaft nehmen?" sic disputat l. l. contra Schleiermacherum, et contra Hagenbachium caeterosque: „haben wir nun vorher gesagt, die Apologetik setze exegetische und symbolische Theologie voraus, so müssen wir jetzt weiter sagen, sie setze auch dogmatische Theologie voraus." Cfr. pag. 898 sqq.

Apologiam nullum ponunt discrimen, alii utramque distinguunt sive dicentes alteram philosopham religionis expositionem, alteram popularem, sive habentes illam normam defensionis, hanc ipsam defensionem.

Polemicam alius cum Apologetica coniungit, alius ab ea separat 1). Quod ad sententias de iure Apologetices locum in disciplinis theologicis occupandi 2), in primis Tholuck 3), Rosenkranz 4) et Palmer 5) ei hoc ius abiudicant, quorum primus contendit, munere Apo-

---

1) Contra Schleiermacheri distinctionem utriusque disciplinae ita Doct. Kienlen l. l.: „die schleiermacherische Abgrenzung zwischen beiden Wissenschaften nehmen wir nicht an; nach ihm richtet die Apologetik ganz nach aussen, die Polemik ganz nach innen; beide aber haben eine allgemein christliche und eine confessionnel bestimmte Seite. Es muss also gesagt werden: die Apologetik richtet sich nach aussen in weiteren Sinne, nach ausserhalb des Christenthums, die Polemik nach aussen und nach innen im engern Sinne, nach ausser — oder innerhalb der Sonderkirche."

2) Ante hos quindecim fere annos scripsit Doct. Kienlen: „in der letzteren Zeit ist es beinahe an ihnen geschehen dass, wer sie fand, sie todtschlagen wollte."

3) *Vermischte Schriften I.* p. 156.

4) *Recension von Sacks Apolog. Berliner Jahrbücher für wisschensch. Kritik* 1829, passim.

5) „Die Nachweisung der Idee im dem Gegebenen, das Aufzeigen der Nothwendigkeit ist die wahre Begründung, also auch die wahre Vertheidigung des Christenthums, allein eben damit ist auch die Apologetik als besondere theologische Disciplin aufgehoben, indem jedes Geschäft durchaus in den Bereich der Dogmatik fällt, denn es ist nicht anders

logetices historice explorato, apparere eius argumentum iam aliis disciplinis theologicis contineri 1).

Nostrum non est eas, quas attuli, sententias explorare et diiudicare. Paulum religionis christianae Apologetam proponere cupientibus, haec pauca sufficiunt. Pars in defendendo posita apud eum nondum primum locum tenet: postea demum a Gentibus, Iudaeis et Mohammedis asseclis eae prolatae sunt accusationes, in quibus refutandis elaborarent Apologetae.

Natura religionis, Apostolo teste, posita est in *δικαιοσύνῃ Θεοῦ*, in tali iustitia, qualis Deo probatur. Hanc *δικαιοσύνην*, quae erat *μαρτυρουμένη ὑπὸ τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν*, Rom. III : 21 etiam Iudaei assequi studebant, quorum religio eo tendebat ut homines *δίκαιοι* essent coram Deo; pariter in cultu Gentium hoc erat summum ut homines cum Diis arcto vinculo coniungerentur. Ut igitur Paulus ostenderet solam religionem christianam veram esse religionem, primum ei erat probandum neque a Gentibus neque a Iudaeis hanc *δικαιοσύνην Θεοῦ*, quae sola aeternae vitae est conditio, acquiri. Huic partis criticae sectioni alteram addemus defensoriam, in qua non audiemus

---

möglich als dasz jene Nachweisung der innern Nothwendigkeit an jedem Punkte zugleich sich als Widerlegung der möglich oder wirklich erhobenen Entwürfe gestaltet." *Recension von von Dreys Apolog. Tholucks litt. Anzeigen* 1839, pag. 491, 492.

1) Cfr. Haenell l. l.

Apostolum suam dignitatem contra adversarios defendentem, sed accusationes refutantem ab iis in religionem christianam prolatas.

Altera nostrae disquisitionis pars, quae est positiva, probabit hanc *δικαιοσύνην Θεοῦ* a Christo hominibus offerri et qua ratione illud fiat.

Fontes nobis sunt ipsius Pauli epistolae. Quidquid enim de Actis Apostolorum statuimus, hoc facile unusquisque concedet, ea primarium fontem theologiae Paulinae dici non posse 1). Ex Pauli autem epistolis illas tantum quatuor in usus nostros convertemus, de quarum authentia a nemine dubitatur 2), moti non Theologorum Tubingensium sententia, qui caetera scripta Apostolo

---

1) Clar. Reuss sic de iis statuit: „les Actes contiennent, il est vrai, plusieurs discours de Paul, mais ces discours ne dépassent pas le cercle des idées les plus générales de la prédication apostolique et ne contiennent absolument rien de ce qui caractérise spécialement la théologie de Paul." *Hist. de la théol. chrétienne au siècle apostolique. 2 Ed. Tom. II L. V Ch. I*, pag. 7.

Alibi sic dicit, pag. 3: „il n'est pas nécessaire de démontrer tout au long que nous ne pouvons puiser la connaissance de la théologie de Paul autre part que dans ses épitres, en comparaison desquelles toutes les autres sources seraient aussi superflues qu'insuffisantes et nous exposeraient même à commettre des erreurs."

2) De Brunone Bauero, qui omnes Paulo abiudicat, sermo esse nequit.

abiudicant, sed nostro iudicio, ex quo ipsae satis distincte et perspicue Pauli Apologetae imaginem nobis proponunt 1) ideoque nostro consilio sufficiunt.

---

1) Recte Reuss l. l., pag. 4: „il y a quelques épitres, qui méritent plus que les autres l'attention de l'historien, soit parcequ'elles contiennent plus de choses se rapportant au dogme, soit parcequ'elles les traitent déjà avec un peu plus d'ensemble et de méthode."

PARS I (Critica).

SECTIO I.

Gentes et Iudaei δικαιοσύνην Θεοῦ non consecuti sunt.

Omnes homines peccasse, Paulus haud semel contendit. Ita Rom. III : 9 Ἰουδαίους τε καὶ Ἕλληνας 1) i. e. totum genus humanum, πάντας ὑφ' ἁμαρτίαν εἶναι dixit; vs. 23 πάντες ἥμαρτον et propterea gloria Dei carent; vs. 19 totum genus humanum ὑπόδικον est τῷ Θεῷ, poenis divinis obnoxium. Hoc primum probat de Gentibus, argumento universe ducto e conditione, qua eae aetate Apostoli utebantur.

CAPUT I.

De Gentibus, δικαιοσύνην Θεοῦ non consequentibus.

Quamquam Gentes lege certa, quali Iudaei ute-

---

1) Ἕλληνες apud Paulum nonnumquam distinguuntur a barbaris ut Rom. 1 : 14, saepius omnes comprehendunt Gentes, a Iudaeis distinctas, v. c. Rom. 1 : 16, 2 : 9, 10, 3 : 9, 1 Cor. 1 : 24.

bantur, carebant, erant tamen de Pauli sententia non minus *ἀναπολόγητοι* (Rom. I : 20) : habebant enim tres fontes, e quibus Deum cognoscere poterant, naturam, legem moralem et historiam.

§ 1.

De ratione qua Deus gentibus se manifestaverit.

Τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ φανερόν ᾽εστιν ἐν αὐτοῖς (Rom. I : 19). Magnopere dissentiunt V. D. de horum verborum notione.

Alii *τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ* intelligunt illud, quod de Deo cognosci potest 1), alii quod de Deo cognitum est 2), illam explicationem in primis improbantes, quia secundum eos apud Gentes de positiva, quam dicunt, revelatione sermo esse non potest. Cum Hengelio 3) credimus discrimen de sensu non tantum esse quantum videtur. Quid enim dicit Apostolus? *τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ φανερόν ἐστιν*, i. e. manifestum est, ita igitur ut ab omnibus cognosci possit. In medio itaque relinquitur utrum hanc cognitionem iam perceperint; hoc vero de omnibus affirmari,

---

1) Neque hi omnes inter se consentiunt: quum enim plurimi cogitant de cognitione Dei e natura petita, nonnulli Euangelii cognitionem intelligunt.

2) Dähne (*Entwickelung des Paul. Lehrbegriffs*, pag. 28) τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ explicat „die Erkenntnissmittel Gottes."

3) *Interpretatio Epist. Pauli ad Romanos Tom. I pag.* 109.

ét pugnaret cum experientia ét cum iis quae postea in hoc capite leguntur. Illud *ἐν αὐτοῖς* pertinet ad homines, de quibus Apostolus sect. 18 dixit eos *ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατέχειν*, veritatem iniustitia oppressam tenere, quod universe valet de Gentibus, quamquam minime inde sequitur, Paulo iudice, omnes inter eos sine ulla exceptione improbitate fuisse conspicuos 1). Ne cum Grotio *αὐτοῖς* unice de philosophis intelligamus, vetat tota argumentatio, quae sic intellecta claudicaret.

Ut supra dicta magis affirmaret, addit Apostolus: *ὁ Θεὸς γὰρ αὐτοῖς ἐφανέρωσε*, ipse Deus iis illud manifestavit ita ut suam ignorantiam excusare non possent 2).

a. Rogantibus qua ratione Deus se manifestaverit, quid contineat illud *γνωστὸν τοῦ Θεοῦ*, Paulus respondet s. 20. ***Τὰ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται***, Dei invisibilia, quae corporis oculis cerni nequeunt, conspiciuntur inde a mundo condito mentis oculis e rebus creatis. ***Ἀπὸ κτίσεως κόσμου*** non cum Vulgata esse explicandum

---

1) Minus recte Meyerus ad h. l. *ἐν αὐτοῖς* explicat *ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν*: minime enim omnes hanc cognitionem Dei iam intimo animo percepisse constat.

2) Conf. omnino oratio Lystrensis, Act. 14 in primis vs. 17, ubi Paulus de Deo dicit: *οὐκ ἀμάρτυρον ἑαυτὸν ἀφῆκεν*, et ea, quam in Areopago habuit, Act. 17, ubi vs. 27: *καίτοιγε κύριος οὐ μακρὰν ἀπὸ ἑνὸς ἑκάστου ἡμῶν ὑπάρχων*.

ex rerum natura, patet e sequente τοῖς ποιήμασι, quod tum abundaret. Dummodo igitur mens non sit obscurata, etiam invisibilia clare perspici possunt: eâ enim homo a rebus creatis ad creatorem ascendit.

Quaeritur quaenam sint illa ἀόρατα. Grotius, Fritschius aliique cogitant de Dei actionibus; sed animadvertentes ad ea quae sequuntur: ἥ τε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης, quam epexegesin esse Fritschius nullo probabili argumento negat, facile intelligemus Dei proprietates significari, aeternam eius potentiam et divinitatem. De notione θειοτήτος varie disputarunt V. D.

Nonnulli distinguunt θεότητα et θειότητα, illam Deitatem, Dei existentiam, hanc Divinitatem, Dei essentiam explicantes, quos recte refutavit Hengelius, ostendens nullam huius distinctionis esse caussam neque in Etymologia neque in loquendi usu 1). Quare nulla est caussa cur cum nonnullis tantum de Dei bonitate vel sanctitate cogitemus 2). Ut vidimus, Paulus utitur

---

1) Citat l. l. pag. 117 verba novi *Stephani* Thesauri Editoris ad voc. θεῖος: „tribus maxime modis dicitur; est enim vel Deo s. diis proprius, vel, qualis deorum est, vel a diis immissus. Ergo subst. θειότης, ex adiectivo θεῖος ortum, idem ac θεότης significare potest."

2) Minus recte etiam Usteri (*Entw. des Paul. Lehrbegriffs* 5ᵉ Ed. pag. 16): „der Zusammenhang, sowohl das Vorangehende als das Nachfolgende, lässt auf keine andere Bestimmtheiten des göttlichen Wesens schliessen, als auf

argumentis q. d. cosmologico et physico-theologico, postea quoque saepius pro existentia Dei allatis. Quamquam concedimus philosophice haec argumenta non prorsus valere, magnam tamen vim iis tribuere licet, quum praestantissimos antiquitatis viros illis ad vim divinam agnoscendam pervenisse appareat. Sic v. c. Ciceronem (Tusc. Quaest. I, 27) disputantem audimus: „haec innumerabilia quum cernimus, possumusne dubitare quin his praesit aliquis vel effector, si haec nata sunt, ut Platoni videtur, vel, si semper fuerint, ut Aristoteli placet, moderator tanti operis et muneris? — Ut Deum agnoscis ex operibus suis, sic ex memoria rerum et inventione et celeritate motus omnique pulchritudine virtutis vim divinam mentis agnoscito." 1)

b. Sed praeter manifestationem in natura, alia etiam ratione Deus Gentibus se manifestavit; *τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ* etiam *φανερὸν* erat in iis lege morali, qua utebantur. Hoc Paulus explicat Rom. II : 14, 15: *ὅταν γὰρ ἔθνη* 2), *τὰ μὴ νόμον ἔχοντα, φύσει τὰ*

---

die Güte, Weisheit und Geistigkeit desselben." Recte Meyerus: „es ist der Innbegriff der göttlichen Realitäten zusammen."

1) Cfr. Clar. Dähne l. l. pag. 29: „So viel liegt doch immer geschichtlich vor, dass die vorzüglichsten unter den Heiden durch solche Beweisführungen zu reinern Ansichten über das göttliche gekommen seyen und sie verbreiteten, wodurch sich denn die Fähigkeit der übrigen dergleichen zu erhalten von selbst ergab."

2) Distinctionem Hengelii l. l. pag. 220 inter *τὰ ἔθνη* et

τοῦ νόμου ποιῇ, οὗτοι νόμον μὴ ἔχοντες ἑαυτοῖς εἰσὶ νόμος. Quum enim Gentes, quae legem scriptam, constitutam non habent, natura ducantur 1) ut perficiant quae lex Mosaïca Iudaeis praecipiebat, quamquam proprio sensu iis lex non erat, sibi ipsae sunt legi 2). Ex eo igitur, quod nonnulli inter Gentes legi morali obsequuntur, Paulus efficit eam in omnibus esse manifestam, minime vero omnes eius praeceptis obedire 3).

Duplici Apostolus utitur argumento ad thesin suam probandam, externo et interno. *Ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν*, ostendunt opus legis esse scriptum in ipsorum corde, factis suis probant sibi esse non scriptam, sed natam legem, secundum quam vitam instituunt convenienter praeceptis lege Mosaïca datis. Recte animadvertit Grotius vocabulo *γραπτόν* usum esse Apostolum, ut hanc legem opponeret ei, quae in tabulis erat scripta;

ἔθνη, quorum illud significaret universas gentes, hoc gentes a Iudaeis discernendas, non semper valere, probare mihi videntur v. c. Gal. 2 : 8, 9.

1) Minus recte Clar. van Oordt voc. φύσει cum praecedente ἔχοντα coniungit. *Waarheid in Liefde* IV 1837, *„over het bij de Heidenen bestaande als voorbereiding voor de verlossing in J. C."*

2) Distinximus inter νόμον et τὸν νόμον; quid enim significarent verba ἑαυτοῖς εἰσι νόμος, si νόμος semper de lege Mosaïca esset accipiendum? Plura de hoc discrimine Cap. II.

3) Cfr. Rom. 2 : 26, 27, ubi ἡ ἀκροβυστία ἡ ἐκ φύσεως dicitur τὰ δικαιώματα τοῦ νόμου φυλάσσειν et τὸν νόμον τελεῖν.

idemque plura antiquorum testimonia attulit de hac lege innata. 1)

Internum argumentum positum est in conscientia: συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως. De prima voce variae sunt sententiae, quas omnes recensere longum est.

Nobis placet Hengelii interpretatio: una testimonium reddente conscientia, i. e. cum documento, quo gentes se sibi legi esse ostendunt. Conscientiam neque solum probare neque improbare ex mente Pauli, ut nonnulli putant, sed probationem et improbationem ab hominum factis pendere, non est quod animadvertamus.

Quare ea, quae sequuntur: καὶ μετάξυ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορούντων καὶ ἀπολογουμένων cum Meyero de ratiocinationibus explicemus, quas Gentes inter se conserunt, non video: ut conscientia in unoquoque loquitur, sic etiam λογισμοί dicuntur eum vel accusare vel defendere 2). Est hoc argumentum Pauli morale,

---

1) Inter alios citat Tertullianum *adv. Iudaeos:* „ante legem Mosaeam scriptam in tabulis lapideis legem fuisse contendo non scriptam, quae naturaliter intelligebatur. Nam unde Noë iustus inventus, si non eum illa naturalis legis iustitia praecedebat? unde Abraham amicus Dei deputatur, si non de aequitate et iustitia legis naturalis?" Idem *de Corona Militis:* „Quaeris igitur Dei legem? habes communem in publico mundo, in naturalibus tabulis, ad quas et Apostolus solet provocare."

2) Clar. van Oordt l. l. λογισμούς explicat argutas philosophorum, in primis Stoïcorum, disquisitiones.

postea etiam usitatum, quo a lege morali in homine legislatorem esse concluditur. Concedentes ne hoc quidem argumentum omni dubio esse maius, minime tamen eius vim negamus.

c. Tandem ultimum fontem indicat Apostolus, ex quo Gentes etiam Deum cognoscere poterant: in historia sese manifestavit hominum iniustitiam punientem, quod facile unusquisque in sua ipsius vita et in toto genere humano animadvertere potuit. *Ἀποκαλύπτεται ὀργὴ Θεοῦ ἀπ' οὐρανοῦ ἐπὶ πᾶσαν ἀσέβειαν καὶ ἀδικίαν* Rom. I : 11; revelatur ira Dei de coelo in omnem impietatem et iniustitiam. — Si quaeritur, qua ratione hominibus haec ira Dei conspicua fieret, animum advertamus ad morum depravationem, in quam Gentes inciderant, cuius caussam ipsae in sua idololatria invenire poterant 1).

Διὸ καί, propterea etiam i. e. ob eorum impietatem, *παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ Θεὸς εἰς ἀκαθαρσίαν*, vs. 24, *εἰς πάθη ἀτιμίας* vs. 26, *εἰς ἀδόκιμον νοῦν* vs. 28.

Plures interpretes in hisce interpretandis dogmatica sua esse ductos, non est quod dicamus. Nobis videtur Paulus Deum in historia proposuisse iustum omnium rerum gubernatorem, qui effecit ut homines ob suam impietatem inciderent in impuritatem, turpes affectus et improbum animum. Excusari enim non poterant; *τὴν*

---

1) Cfr. ad h. l. Doct. van Bell in disp. theologica de vocabulis *φανεροῦν* et *ἀποκαλύπτειν* pag. 61 et 62.

ἀντιμισθίαν, ἣν ἔδει, τῆς πλάνης αὐτῶν ἐν ἑαυτοῖς ἀπελάμβανον s. 27, nihil accipiebant nisi mercedem suae defectionis in se ipsis. Nam erant *ἐπιγνόντες τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ*, decretum Dei ipsa naturae lege iis erat notum, illud nempe: *ὅτι οἱ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσιν*, haec ct similia perficientes morte esse dignos vs. 32. Varias de vocis *θανάτου* significatione sententias attulit Hengelius 1). Recte autem Grotius: „sunt quaedam crimina, quae mortem mereri consensus hominum testatur. Talia sunt homicidia, adulteria et aliae foedae libidines ad quas haec verba respiciunt." Quamquam autem primo loco de morte naturali cogitamus, omnem tamen notionem mortis spiritualis hic excludendam esse, vix affirmare ausimus.

His igitur fontibus utentes, Gentes erant *γνόντες τὸν Θεόν*, Rom. I : 21. Cum hoc loco illud pugnare videtur, quod Paulus de Galatis scribit, antequam ad Christum pervenerant, IV : 8: *τότε οὐκ εἴδοτες Θεόν* 2). Sed animadvertendum, Apostolum nostro loco minime affirmare omnes Gentes hanc Dei cognitionem percepisse, sed tantum, quia *τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ* in iis erat *φανερόν*, illas quoque eum cognoscere potuisse.

---

1) l. l. pag. 162.

2) Cfr. 1 Thess. 4 : 5, ubi *τὰ ἔθνη* dicuntur *τὰ μὴ εἰδότα Θεόν* et 2 Thess. 1 : 8.

§ 2.

De Gentium idololatria et morum pravitate.

In antiquis philosophis non defuisse qui vanis et argutis disquisitionibus delectarentur, notum est. Quot syllogismis usi sunt ad probanda ea, de quibus unusquisque dubitabat! Hanc disputandi formam sensim paulatimque cognovit profanum vulgus, quod minore ducebatur veri studio quam ii, qui iure philosophorum nomen gerebant. Hunc disputandi morem Paulus egregie depinxit, qui non, ut nonnulli contendunt, de una hominum classe, sed universe de Gentibus loquitur, nam Rom. I : 21, *ἐματαιώθησαν*, ait, *ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν*, vani facti sunt in suis ratiocinationibus, quum non amplius veritatem quaererent. Fortasse Paulus respicit poetae verba (Ps. XCIV : 11), quae etiam laudat 1 Cor. III : 20: „*κύριος γινώσκει τοὺς διαλογισμοὺς τῶν σοφῶν, ὅτι εἰσὶ μάταιοι.*"

Sic igitur *ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία*, obscurata est stulta eorum mens. Hinc tantum in se ipsis sapientiam quaerebant et ita stulti sunt facti; *φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν* Rom. I : 22. Eodem modo de hac falsa sapientia iudicat 1 Cor. I : 20, 21: *οὐχὶ ἐμώρανεν ὁ Θεὸς τὴν σοφίαν τοῦ κόσμου τούτου;* nonne Deus huius mundi sapientiam stultam fecit, quippe qui in sapientia sua Deum non cognoverit? Quid mirum homines, quorum mens stultitia prorsus erat obcoecata, tandem in idololatriam incidisse?

Quid enim? *τὸν Θεὸν οὐχ ὡς Θεὸν ἐδόξασαν ἢ ηὐχαρίστησαν*, non Deum celebrabant tamquam verum Deum neque debitam ei gratiam tribuebant, vs. 21. Ab hoc hominum animo ingrato erga Deum, qui prae omnibus eorum gratia erat dignus, Apostolus repetit idololatriam. Tum enim *οὐκ ἐδοκίμασαν τὸν Θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει* vs. 28, quod recte vertit Hengelius: 1) „illis visum non erat Deum talem habere, qualis est agnoscendus"; cui tamen non assentimur addenti: „gradationem enim orationis faciens, plus, quam supra verbis *ἤλλαξαν*, *μετήλλαξαν* et *ἐσεβάσθησαν* enunciaverat, hîc dicere voluit, videlicet id, quod Gentes depravatae agerent, *consulto* actum esse." Cur enim minus *consulto* agerent in iis perficiendis, quae s. 23 et 25 memorantur, non intelligimus.

Sic Dei immemores, *ἤλλαξαν τὴν δόξαν ἀφθάρτου Θεοῦ ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου καὶ πετεινῶν καὶ τετραπόδων καὶ ἑρπετῶν* vs. 23, quae verba partim laudavit e Psalmo CVI : 20. Gloriam Dei incorruptibilis mutabant, non ipsum colebant, sed hanc gloriam ponebant in figura, quae apparet in simulacro (ut explicat Grotius) hominis corruptibilis et volucrum et quadrupedum et serpentium. Hoc vilissimorum animalium coetu in primis spectari Aegyptiorum cultum, apparet; attamen neque alii populi prorsus ab eo erant

---

1) l. l. pag. 150.

alieni. Sic Grotius laudat locum Lucani, Pauli fere aequalis:

Nos in templa tuam Romana recipimus Isim,
Semideosque canes, —

Et Varro de diis, „habitus illis, inquit, hominum ferarumque et piscium." Idem enunciat Paulus aliis verbis vs. 25: *μετήλλαξαν τὴν ἀλήθειαν τοῦ Θεοῦ ἐν τῷ ψεύδει*, mutabant veritatem Dei i. e. verum Deum, ponentes pro eo falsos, imaginarios deos 1). Sic enim nobis interpretanda videtur *ἡ ἀλήθεια τοῦ Θεοῦ*, attendentibus ad praecedens *δόξαν τοῦ Θεοῦ*, minime vero, ut nonnulli exponunt veram Dei cognitionem vel veritatem, quae ad Deum ducit 2).

Ita Gentes verum Deum neglexerunt, in aeternum laudandum; et quod summa erat impietas, hominem colebant 3).

---

1) Cfr. 1 Cor. 10 : 20 (δαιμονίοις θύουσι καὶ οὐ Θεῷ), 12 : 2 (ἔθνη ἦτε, πρὸς τὰ εἴδωλα τὰ ἄφωνα ἀπαγόμενοι). Item Eph. 2 : 12, ubi Gentes dicuntur ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ.

2) Sic etiam Usteri l. l. pag. 17, quamquam explicat „das verkehrte, natürliche, noch nicht verunreinigte Bewusstsein Gottes" addit: „wiewohl auch die Auslegung ἀλήθεια Θεοῦ, das wahre Wesen Gottes, der wahre Gott, und ψεῦδος, die Götzen als falsche, nichtete, selbsterdichtete Wesen, vieles für sich hat und vom nächsten Zusammenhang aus betrachtet wahrscheinlicher ist."

3) Recte Baurius (*Paulus* pag. 592): „der Natur der Sache nach konnte das Heidenthum nicht bloss die Negation

Huius impietatis naturalis effectus erat maxima morum depravatio, in quam Gentes incidebant 1). Iam vidimus eas, Deo moderante, secundum Paulum incidisse in *ἀκαθαρσίαν* (vs. 24), ut corpora earum dedecorarentur; porro in *πάθη ἀτιμίας* (vs. 26), unde feminae in feminas, mares in mares ingruerent; tandem (vs. 28) in *ἀδόκιμον νοῦν*, ut non nisi turpia patrarent.

Inde a vs. 29—31 plura affert Gentium vitia, quae omnia hic fuse explicare non opus est. Hengelius quadruplicem vitiorum seriem recenset, quorum ad primam pertinent quatuor priora, si saltem cum Recepta, ut statuit idem V. Cl., illud *πορνεία* genuinum esse censemus; ad alteram quinque sequentia, ad tertiam octo illa, quae haec excipiunt, ad quartam tandem quinque ultima

---

der wahren Gottes-Idee seyn, es musste an die Stelle des negirten Absoluten etwas Anderes setzen, das selbst als das Absolute gelten soltte. Dahin ist das Heidenthum nicht bloss die Abwendung von dem wahrhaft Absoluten, sondern die Verklarung desselben in sein Gegentheil, der falsche Schein, dass das, was an sich nur vergänglicher, endlicher Natur ist, das Absolute selbst sein soll. Das Heidenthum ist, wie es der Apostel auffasst, die theoretische Verkehrung des Endlichen und Absoluten, die Identificirung der Wahrheit oder Wirklichheit, die mir das Wesen Gottes selbst ist, mit dem Unwahren und Unwirklichen, der Lüge, die Gleichstellung des Geschöpfs und' des Schöpfers."

1) De Polytheismo, morum pravitatem efficiente, egregie disputavit Gieseler, *Kirchengeschichte* (Ed. IV) Tomo I, § 9.

flagitia, nisi, contra Receptam, vocabulum *ἀσπόνδους* spurium habeamus.

Talem peccatorum catalogum etiam alibi apud Paulum invenimus, e. c. Gal. V : 19 sqq., ubi dicuntur *ἔργα τῆς σαρκός*. Et haec vitia, sic absolvit Apostolus suam orationem de Gentibus vs. 32, eae non tantum committunt, sed, quod peius etiam est, *τοῖς πράσσουσι συνευδοκοῦσι*, consentiunt talia perpretrantibus. Qui hanc Pauli descriptionem exaggeratam esse putat, adeat scriptores illius aetatis, omniumque maxime Senecam, qui vividis coloribus vitia depinxit et alibi et Romae in primis grassantia. Sic e. c. in libro de Ira II, 8, quem locum citat Usteri 1): „omnia, inquit, sceleribus ac vitiis plena sunt; plus committitur quam quod possit coërcitione sanari. Certatur ingenti quodam nequitiae certamine; maior quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia est. — Nec furtiva iam scelera sunt; praeter oculos eunt; adeoque in publicum missa nequitia est et in omnium pectoribus

---

1) l. l. pag. 18. Cfr. etiam Senecae Epist. 95 et *de Ira* II, 9: „adde nunc publica periuria gentium et rupta foedera et in praedam validioris, quidquid non resistebat, abductum; circumscriptiones, furta, fraudes, infitiationes, quibus trina non sufficiunt fora. Si tantum irasci vis sapientem, quantum scelerum indignitas exigit, non irascendum illi, sed insaniendum est."

De Gentium conditione religiosa primis religionis christianae temporibus, cfr. etiam Neander, *Kirchengeschichte* (Ed. 3) p. 3—18.

evaluit ut innocentia non rara, sed nulla sit. Numquid enim singuli aut pauci rupere legem? undique, velut signo dato, ad fas nefasque miscendum coörti sunt."

Miseram Gentium conditionem nobis ante oculos posuit Paulus, ex qua universe argumentum sumsit ad sententiam suam probandam. Et quamquam non omnes in eadem erant miseria, et igitur argumentum non de unoquoque speciatim valebat, tamen hoc omnibus concedendum erat se non esse quales esse debebant, se *δικαιοσύνην Θεοῦ* et propterea veram salutem non consecutos esse, nam *ἄδικοι Θεοῦ βασιλείαν οὐ κληρονομήσουσι* (1 Cor. VI : 9).

Constat, Apostolum magnam morum depravationem apud Gentes repetere ex amissa Dei conscientia. Animadvertendum tamen videtur, hanc Dei conscientiam in iis numquam satis claram fuisse, quia caeteroquin miseria adeo universalis vix explicari posset 1).

---

1) Baurius l. l. pag. 593: „so wahr und tief gedacht nun auch ist, was der Apostel zur Characteristik des Heidenthums sagt, so ist es doch nur die eine Seite der Sache, wenn man das Wesen des Heidenthums blos aus einer sittlichen Verirrung ableitet; die andere Seite der Betrachtung, die auch dazu gehört, ist dass diese sittliche Verirrung so tief eingreifende Folgen nicht hätte haben können, wenn das Gottesbewusstsein von Aufang an ein klares und kräftigeres gewesen wäre. Dass es dies nicht war, von Anfang an diesen wesentlichen Mangel hätte, überhaupt auf einem Punkte stand, von welchem aus es sich erst entwickeln und von dem natürlichen Element, mit

CAPUT II.

De Iudaeis, δικαιοσύνην Θεοῦ non consequentibus.

Praeter fontes, quibus Gentes utebantur ad Deum cognoscendum, quique omnium hominum communes erant, Iudaei e Pauli sententia varia habebant privilegia, quibus Deus se iis manifestavit.

§ 1.

De ratione, qua Deus Iudaeis se manifestavit.

Quum Cap. II Epist. ad Romanos Apostolus ostendit Iudaeos similiter atque Gentes esse *ἀναπολογήτους*, quia apud Deum nulla sit *προσωποληψία*, initio Cap. III movet quaestionem: *τί οὖν τὸ περισσὸν τοῦ Ιουδαίου ἢ τις ἡ ὠφελεία τῆς περιτομῆς;* Etenim Iudaeus, lecta superiore disputatione, dubitare potuit num discrimen superesset inter populum suum et Gentes, tum autem rogare: quaenam igitur est Iudaei praestantia vel circumcisionis utilitas? Ambas quaestiones idem significare, non est quod dicamus. Cum emphasi respondetur: *πολὺ, κατὰ*

---

welchem es zusammengewachsen war, sich befreien musste, muss auch in Betracht gezogen werden, wenn alle Momente zusammen genommen werden sollen, die den vollständigen Begriff des Wesens der heidnischen Religion geben."

πάντα τρόπον. Πρῶτον μὲν γὰρ 1), *ὅτι ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ.* Ut saepius, Paulus fervore orationis ad aliam quaestionem transit, ita ut frustra quaeras *ἔπειτα δέ* simileve quid, quod vocabulo *πρῶτον μέν* respondeat. Minus recte nonnullos *τὰ λόγια* Nominativum verbi *ἐπιστεύθησαν* habuisse, omnes interpretes concedunt, animadvertentes saepius verbum, dativum personae et accusativum rei regens, in passivo hanc personam subiectum habere. Praeter haec *λόγια τοῦ Θεοῦ* Rom. IX : 4 2) iis tribuit: *τὴν υἱοθεσίαν, τὴν δόξαν, τὰς διαθήκας, τὴν νομοθεσίαν, τὴν λατρείαν, τὰς ἐπαγγελίας*, de quibus singulatim monebimus.

Primum igitur beneficium, a Deo Iudaeis tributum, in eo cernitur quod iis concessa sunt verba Dei, oracula divina, in primis, ut contextus docet, Messiam spectantia. Quam falso patres nonnulli legem Mosaïcam intellexerint, sponte apparet.

Fidem Dei non tolli, sed confirmari eo quod nonnulli fortasse his promissis fidem non habuerunt, quia spe regni, a Messia constituendi, erant destituti, neque

---

1) Particulam *γάρ* Lachmannus al. reiecerunt cum D. E. G. et vers. Syr., Ital. et Vulgata. Tischendorfius eam antea reiectam in ultima Editione restituit. In Cod. Vat. omittitur sec. ed. quae procurarunt viri cll. A. Kuenen et C. G. Cobet, Lugd. Bat. 1860.

2) Iudicantes hic Paulum orationem suam persequi caeteris Iudaeorum privilegiis citandis, minime contendimus cap. 9 : 4 demum Apodosin contineri.

Deum iniustum esse, ira homines persequentem, Apostolus sqq. ostendit 1).

Habebant praeterea τὴν υἱοθεσίαν ii, de quibus Paulus diserte dicit: οἵτινες εἰσιν Ἰσραηλῖται, posteritas Iacobi, cui Deus, secundum Gen. XXXII : 28, nomen Israëlis dedisse credebatur. Saepius in V. T. Israël dicitur Dei filius, primogenitus, Exod. IV : 22, Deus eius pater, sensu theocratico. Et est eorum ἡ δόξα, gloria Dei, כְּבוֹד יְהוָה, qualem in deserto populus conspexerat in nubis et ignis columna et postea in

1) Hodgii sententiam de sect. 3 sqq., prorsus a vulgari recedentem, sic tradit Oltramarius: (*Commentaire sur l'épître aux Romains* p. 297 sq.) „ „il semble, dit-il, plus naturel de voir ici l'objection d'un adversaire, et dans ce qui suit la réponse de l'Apotre. L'objection serait que la doctrine de Paul sur la condamnation qui pesait sur les Juifs était incompatible avec les promesses de Dieu. Quoi donc? eussions-nous été infidèles, fussions-nous aussi désobéissants, aussi pervers que vous le prétendez, cela pourrait-il invalider les promesses de Dieu? Sera-t-il infidèle de son côté? N'a-t-il pas promis d'être notre Dieu et que nous serions son peuple? Ce sont là des promesses dont notre conduite bonne ou mauvaise ne saurait suspendre l'effet. On peut faire observer, à l'appui de cette interprétation, que le fait qu'ils étaient le peuple élu de Dieu, était un des principaux motifs de sécurité des Juifs."" Quem sic refutat V. D.: „Ceci ne se lie en rien avec le verset 2. Le γάρ, d'ailleurs, perd ainsi sa signification, aussi Hodge traduit il *quoi donc?* Si telle eut été l'objection au Juif, ne doit-on pas attendre pour réponse un *oui*, *assurément*, et non μὴ γένοιτο."

tabernaculo et templo super arcam foederis. Qui hanc δόξαν explicuerunt omni gloria Iudaeorum vel de gloria τῆς υἱοθεσίας, eos recte refutavit Meyerus. Sequuntur αἱ διαθῆκαι, pro quibus Lachmannus minus recte legit τὴν διαθήκην, quia hic non tantum de foedere, quod Deus cum Mose iniit, sermo est sed de omnibus illis, inde ab Abrahamo initis 1).

Ut iam monuit Origenes, „testamenta frequenter statuta sunt, ἡ νομοθεσία contra una et semel habita per Mosem;" per eam populo Israëlitico varia officia, tam civilia quam moralia, praescribebantur. Huic a parte populi respondebat ἡ λατρεία, ratio qua Deum colebat.

Ultimum locum tenent αἱ ἐπαγγελίαι, promissa, quae, ut ait Köllnerus, ab Hengelio citatus, „per Patriarchas, Mosem et Prophetas data sunt et quorum complementum Messia auctore acceptum iri spes genti ab antiquo facta est." Quapropter non tantum cum Grotio promissa terrena intelligimus 2). Hisce igitur beneficiis Iudaei, ὧν οἱ πάτερες, i. e. patriarchae illi, qui per excellentiam patres dicuntur, quorumque ex stirpe erat Christus (vs. 5), distinguebantur a caeteris populis, quamquam minime iis erant excellen-

1) Cfr. Gal. 4 : 24, ubi δύο διαθῆκαι memorantur, quarum altera εἰς δουλείαν, altera εἰς ἐλευθερίαν.

2) Τῶν διαθηκῶν Gentes dicuntur ξένοι Eph. 2 : 12. Neque Gal. 3 : 16 αἱ ἐπαγγελίαι hoc sensu sunt explicandae.

tiores, sed quia Deo placebat populum Israëliticum prae aliis beneficiis ornare.

Fuse in primis Paulus de lege dicit, quae nobis eo duce nunc erit tractanda. Antea autem nonnihil monebimus de quaestione, quae quantopere torserit interpretes nemo ignorat, quid intersit inter *νόμον* et *τὸν νόμον*. Fritschii, Rückerti, Wineri aliorumque sententia, nullum apud Paulum discrimen esse inter *νόμον* et *τὸν νόμον* et hoc vocabulum, sive articulus praecedat sive non praecedat, semper legem Mosaïcam significare, admitti non potest: quomodo enim *νόμος* v. c. Rom. II : 14 (exceptis illis verbis *τὰ τοῦ νόμου ποιῇ*), IV : 13 de hac lege explicari possit, non intelligimus.

Quod valet quoque de iis, qui semper Literas Sacras intelligi volebant. Itaque multi interpretes iudicabant 1) nonnumquam legem moralem significari, sed nemo fortasse nostro tempore accuratius hanc quaestionem tractavit quam Hengelius nostras et Oltramarius, qui nisi in omnibus, in permultis tamen consentiunt.

De illius sententia triplex proponitur lex, naturalis, scripta et Iudaïca; qui tantum habent legem naturalem, sunt barbari, qui distinguuntur ab *Ἕλλησι* (Rom. I : 14) et dicuntur *ἄνομοι* (1 Cor. IX : 21); *οἱ ὑπὸ νόμον* comprehendunt eos, qui habent legem scriptam qualem-

1) Ita iam statuit W. F. Lang (Werken van het Haagsch Gen. 1796). in „*ongenoegzaamheid der nat. godsdienst.*" pag. 131 sqq.

2) Col. 3 : 11 memoratur *βάρβαρος* et *Σκύθης*.

cumque, Ἕλληνας, et Iudaeos lege Mosaïca utentes. Sic igitur distinguit Vir Clar. νόμον a τῷ νόμῳ, ut illud vocabulum significet generalem legis notionem vel legis regionem ab alia distinctam, hoc legem Mosaïcam, sicuti ipsa ab aliis legibus secreta est. Nos facile concedimus, saepissime Pauli de lege disputationem, quando vocabulo νόμῳ sine articulo utitur, de unaquaque lege, etiam morali, valere, quamquam primo loco legem Mosaïcam respexit, contra, quando de τῷ νόμῳ sermo est, id tantum pertinere ad legem, qua Iudaei utebantur. Sed non semper nobis videtur Paulus leges grammaticae ita accurate observasse, ut numquam ab hac regula recederet: sunt enim loci, ubi articulus deest et tamen secundum Hengelii distinctionem adesse debuerat, quia ibi unice de lege Mosaïca sermo est. Quod vix negari potest de Rom. II : 25, 27, III : 31, V : 13, 20. Quae enim Hengelius animadvertit ad suam distinctionem etiam his locis tuendam, nempe Rom. II : 25 v. c. non esse intelligendam ipsam legem Mosis, sed legis illius praecepta vel statuta, non magni esse momenti videtur. Habemus hic Oltramarium consentientem qui, quamquam universe eandem distinctionem probavit, concedit tamen Rom. II : 25, 27 v. c., ubi articulus deest, tantum intelligi posse legem Mosaïcam; qua de re, ipso iudice, dubitari nequit, quum Apostolus Iudaeos alloquatur 1).

---

1) Varias legis apud Paulum significationes his formulis

Distinctio nonnullorum inter legis Mosaïcae partem moralem et ritualem apud Paulum non invenitur: semper ei tota lex animo obversatur, quamquam tum haec tum illa pars primum locum tenet.

Iam duce Apostolo primum videamus de legis natura, tum de ea ad hominem iustum declarandum inepta, tandem de eius consilio.

a. Quod ad legis naturam attinet, *ὁ νόμος* est *ἅγιος* (Rom. VII : 12), *καλός* (vs. 16), etiam *πνευματικός* 1) (vs. 14), i. e. ad *πνεῦμα* se dirigens et ab homine postulans, ut vitam exigat ad normam probitatis. Ut lex, sic etiam *ἡ ἐντολή*, illa quae memoratur s. 7. „*οὐκ ἐπιθυμήσεις*," est *ἁγία καί δικάια καὶ ἀγαθή* (vs. 12), *εἰς ζωήν* (vs. 10). Continet *τὴν μόρφωσιν τῆς γνώσεως καὶ τῆς ἀληθείας* (II : 20), effigiem co-

---

complectitur Clar. Hoekstra: (Godgel. Bijdragen 1859, V pag. 371).

1. de wetsbedeeling, de wets-oeconomie of het werkenverbond.
2. een wetsbedeeling of een werkenverbond.
3. de wet Gods.
4. de wet Gods als bedeeling of als werkenverbond.
5. de wet Gods als zedelijk ideaal (het wezen van de zedelijkheid).
6. het zedelijk ideaal als wet (de vorm van de zedelijkheid).

1) Secundum Grotium *πνευματακός* significat „a S. S. profectus," iudice Theodoreto „S. S. ope scriptus." Magnopere differunt interpretes de huius vocabuli notione.

gnitionis et veritatis; etenim *μόρφωσιν* non in malam partem de specie simulata, ut nonnullis placuit, esse accipiendam, e toto contextu apparet. Praeterea quum Cap. VII : 22 et VIII : 7 *τὸν νόμον τοῦ Θεοῦ* memorat Apostolus, sane primo loco ante oculos habuit legem Mosaïcam, quia iudicabat, eam prae aliis voluntatem divinam continere. Recte antem Hengelius animadvertit Cap. VIII : 7 omnem legem divinam comprehendi, quod etiam de priore loco valet, quamquam secundum distinctionem V. Cl., quia articulus adest, tantum de lege Mosaïca sermo esse potest 1).

---

1) Universe Paulus in Epist. ad Galatas minus honorifice de lege Mos. iudicare videtur, quod sponte apparebit e locis postea a nobis ex utraque epistola afferendis. Lex non directe, ut *αἱ ἐπαγγέλιαι*, a Deo est repetenda secundum sect. 19, sed dicitur *διαταγεὶς δι' ἀγγελῶν ἐν χειρὶ μεσίτου* (3 : 19). Novimus quidem secundum plures interpretes his verbis magnam legis gloriam significari, sed e toto centextu contrarium apparere videtur, quamquam verum est Act. 7 : 53 angelos occurrere legislationi maiorem gloriam addentes. Idem nobis probare videtur s. 20, cuius trecentas interpretationes neque numerare neque ponderare lubet. Paucis tantum afferre iuvat doctam et ingeniosam exegesin Clar. Hoekstra l. l. pag. 380 sqq., quo auctore in primis attendendum est Paulum non dicere: *ὁ δὲ μεσίτης οὐκ ἑνὸς ἔστι* sed *ἕνος οὐκ ἔστιν*, quapropter de duabus pluribusve partibus, ut nonnulli explicant, sermo non est. *Ἑνὸς οὐκ ἔστιν*, iudice V. Cl., nihil aliud est nisi: non est unius, i. e. Dei; sic lex non prorsus divina est, ut *ἡ ἐπαγγελία*; etenim, quamquam eius origo a Deo est repetenda, tamen Deus in ea ferenda se accommodavit ad populi conditionem.

Inde ab Adamo omnes homines peccaverunt, sed non omnes eadem ratione: nonnulli enim peccati sibi non conscii sunt. Hanc autem peccati cognitionem praebet lex qualiscumque, sive scripta sive naturalis, quae hominem docet quid bonum sit quid malum, quid ei faciendum, quid non faciendum sit, iubendo et vetando. Sed unusquisque per aliquod tempus vitam agit tamquam nulla ei sit lex, prima pueritia eius mandata negligit, de unoquoque valet quod Paulus de se ipse affirmat: *ἐγὼ δὲ ἔζων χωρὶς νόμου ποτέ* (Rom. VII : 9). Lex demum veram peccati conscientiam in homine excitat; tum naturam eius cognoscit, percipit quid sit *ἡ ἁμαρτία*, quod caeteroquin eum lateret, ut Apostolus de se ipse dicit: *τὴν ἁμαρτίαν· οὐκ ἔγνων εἰ μὴ διὰ νόμου* (vs. 7), quibus verbis addit, quod maius etiam est: *τήν τε γὰρ ἐπιθυμίαν οὐκ ᾔδειν* 1), et pravam etiam cupiditatem nescirem, *εἰ μὴ ὁ νόμος ἔλεγεν: „οὐκ ἐπιθυμήσεις,“* quae prima verba decimi praecepti eum ab omni prava cupiditate avertere debebant. Sic veram peccati cognitionem lex demum praebet, *διὰ νόμου ἐπίγνωσις ἁμαρτίας* (Rom. III : 20), quorum verborum idem nobis sensus esse videtur ac praecedentium; quapropter *ἐπίγνωσιν* minime cum Bretschneidero vertimus

---

1) Hengelius ita distinguit *ἔγνων* et *ᾔδειν*, ut alterum significet cognitionem mentis actionibus acquisitam, alterum notitiam aliunde acceptam.

agnitionem, qua omnes se tamquam peccatores agnoscunt 1).

Per hanc ignorantiae in vita humana periodum, quam descripsimus, *ἁμαρτία* est *νεκρά* (VII : 8), mortua, omni vi destituta; tum non est *παράβασις* (IV : 15), de transgressione sermo esse nequit, quia homines legis nondum sunt conscii, *ἁμαρτία οὐκ ἐλλογεῖται* (V : 13), quamquam homines peccatum committunt, tamen hoc iis imputari nequit.

Nitimur in vetitum semper cupimusque negata; cum hac antiqui poetae sententia convenit Pauli doctrina, hominum experientia confirmata.

Peccati conscientia in homine excitata est, cessavit ignorantia eorum, quae lex iubet vetatque. Quid nunc? Exoritur pugna in homine inter duo illa principia, quae sibi opposita sunt, *ἡ σάρξ ἐπιθυμεῖ κατὰ τοῦ πνεύματος, τὸ δὲ πνεῦμα κατὰ τῆς σαρκός* (Gal. V : 17). Sed haec pugna est iniqua: *σάρξ*, in qua *ἡ ἁμαρτία* sedem suam collocavit, facile *πνεύματι* resistit, quum hoc nondum est regeneratum: etenim semper *πρῶτον* est *τὸ ψυχικόν, ἔπειτα τὸ πνευματικόν* (1 Cor. XV : 56). Eloquenter Paulus hanc pugnam in sua ipsius vita descripsit, antequam ad Christum pervenit (Rom. VII : 15—finem).

---

1) Quomodo haec verba cum praecedentibus cohaereant, quibuscum particula *γάρ* coniunguntur, Paulus explicat Rom 7 : 8—11.

Concedit legem esse bonam, eius praeceptis obedire cupit, sed, quod cupit, *ἀγαθόν* non perficit, contra *κακόν*, quod odit. Et quamquam in hac pugna non semper sibi constat, quum alio tempore suum *ἐγώ* cum *τῇ σαρκί* confundit, alio vero *τῇ ἁμαρτίᾳ* opponit, numquam tamen *τῆς σαρκός* imperio prorsus resistere potest, quapropter ad desperationem adductus, exclamat: *ταλαίπωρος ἐγὼ ἄνθρωπος, τίς με ῥύσεται ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου* (VII : 24) 1).

Itaque rogantibus quid lex in homine efficiat, Apostolus respondet: lege excitantur *τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν*, affectiones quae ad peccata ducunt (VII : 5), auctore *τῇ ἐντολῇ*, *ἡ ἁμαρτία ἀφορμὴν ἔλαβε* (vs. 8), impetum accepit, quia opportunitas data est, aditus patet et ita peccatum, antea mortuum, *ἐλθούσης τῆς ἐντολῆς*, i. e. huius interdicti conscientia in me excitata, nunc *ἀνέζησεν*, revixit e sopore quo antea versabatur (vs. 9).

Et quamquam lex minime est *ἁμαρτία* (vs. 7), evadit tamen *δύναμις τῆς ἁμαρτίας* (1 Cor. XV : 56), ea peccatum revera vim suam accepit. Sic *ὁ νόμος ὀργὴν κατεργάζεται* (Rom. IV : 15), iram efficit, per delicta nempe quorum est caussa; lex, quae ad vitam ducere debebat, *εὑρέθη εἰς θάνατον* (VII : 10), hominibus, eius praecepta non observantibus, facta est *διακονία*

1) Quod nonnulli contendunt, hoc segmento et in primis vs. 22 hominem Christianum depingi, falsum est.

τῆς κατακρίσεως, τοῦ θανάτου (2 Cor. III: 6 sqq.). — Tandem exponendum nobis est quid lex ab homine exigat.

Varia praecepta et interdicta, quibus lex constat, efficiunt *ἔργα νόμου*, quae hominibus sunt perficienda. Primum enim in lege semper est *τὸ ἐργάζεσθαι τὸ ἄγαθον* (Rom. II : 10); oportet hominem, qui in lege *δικαιοσύνην* quaerit, esse *νόμου ποιητήν*, non sufficit eius praecepta audire (Gal. V : 3, Rom. II : 13) 1), homo ea etiam observare debet. Iudaeus in circumcisione acquiescere potuit, iudicans se per hoc signum participem fore beneficiorum a Deo in populum suum collatorum, sed nihil hic actus ei prodest, nisi *νόμον πράσσῃ* (vs. 25). Quod affirmatur quoque Lev. XVIII : 5; *ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτοῖς* (X : 5). Itaque lex attendit opus *operatum:* quo animo eius praecepta perficiantur, nil refert: etenim *ὁ νόμος οὐκ ἔστιν ἐκ πίστεως* (Gal. III : 12) sed extra hominem *ἐν γράμμασι* (2 Cor. III : 7).

b. Qui ex lege *δικαιοσύνην* quaerit, omnia eius *ἔργα* perficere debet, ne uno quidem excepto: cui quidem neminem parem esse et omnium experientia docet et sua cuique experientia testis est. Sub lege igitur

---

1) Articulus deëst codd. A. B. D. E., et omittitur quoque a Lachmanno, Griesbachio et Tischendorfio: recte, ut videtur, quia Pauli argumentatio de omni lege valet, quamquam primo loco legem Mosaïcam respexit

unusquisque est *ὑπὸ κατάραν*; nam scriptum erat (Deut. XXVII : 26): *„ἐπικατάρατος πᾶς ὃς οὐκ ἐμμένει ἐν πᾶσι τοῖς γεγραμμένοις ἐν τῷ βιβλίῳ τοῦ νόμου, τοῦ ποιῆσαι αὐτά* (Gal. III : 10), quae verba libere a Paulo e versione *τῶν* LXX sunt petita.

Et lex homini nullam opem afferre potuit ad obsequendum eius praeceptis: etenim semper *ἠσθένει διὰ τῆς σαρκός* (Rom. VIII : 3), nam homo est *σάρκινος*, *σάρξ* in eo primas agit partes et ita libertatem suam amittit et subiicitur *τῷ νόμῳ τῆς ἁμαρτίας*. Apparet igitur nos illa verba *τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου* (VIII : 3) non cum pluribus interpretibus intelligere: *κατακρίνειν τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκί* — etenim ad hoc lex non inepta esset, nam erat *διακονία τῆς κατακρίσεως* (2 Cor. III : 9) — sed *ἵνα τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου πληρωθῇ ἐν ἡμῖν*, ut praecepto legis satisfacere possemus (vs. 4) hoc lex in nobis efficere non potuit, vel a. v. ut nullum nobis amplius esset *κατάκριμα* (vs. 1) 1).

Praeterea ad suam sententiam confirmandam de lege ad hominem iustum declarandum inepta, Paulus affert exemplum Abrahami (Rom. IV : 1—5, Gal. III : 6—9). Patriarcha fidem habuit Deo et ita *δικαιοσύνην* accepit; omnes igitur qui sunt ex fide, sunt Abrahami filii et eadem ratione iusti declarantur. Addidit argumentum

---

1) Cfr. Clar. Hoekstra l. l. pag. 153 sqq. Sic etiam explicat Doct. Vissering in Ed. II suae versionis.

κατ'ἄνθρωπον (Gal. III : 15—17): foedus semel initum inter homines nemo rumpit neque aliquid ei addit; iam vero lex lata est 430 annis post *διαθήκην*, quam Deus cum Abrahamo iniit: itaque lex hoc foedus infirmare nequit; tum enim promissio vim suam amitteret.

Denique quum inter legem et *πίστιν* nullum sit vinculum, quia *ὁ νόμος οὐκ ἔστιν ἐκ πίστεως* (Gal. III: 12) et secundum prophetae dictum (Hab. II: 4) *ὁ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται* 1), (vs. 11, Rom. I : 17) constat neminem sub lege iustitiam consequi posse.

c. Vidimus legem non facere hominem *τῆς δικαιοσύνης* participem, sed quaeritur utrum re vera hoc eius consilium esset. Ad quam quaestionem Paulus negando respondet: tum enim Deus suum consilium non tantum non assecutus esset; sed ipsum consilium habuisset contrarium effectum, quod Paulo absurdum videtur 2). Etenim *εἰ ἐδόθη νόμος ὁ δυνάμενος ζωοποιῆσαι, ὄντως ἂν ἐκ νόμου ἦ ἡ δικαιοσύνη* (Gal. III : 21). Cum promissis, semel a Deo Abrahamo datis, lex pugnare nequit: propterea *ἡ κληρονομία* non est e lege (vs. 18).

Quo igitur consilio lata est lex? Et *τῶν παραβάσεων χάριν* (Gal. III : 19) et *ἵνα πλεονάσῃ το παράπτωμα* (Rom. V : 20).

De priore consilio variae sunt interpretum sententiae:

---

1) Perperam nonnullos *ἐκ πίστεως* coniunxisse cum voc. *ὁ δίκαιος*, probarunt in primis Oltramarius et Hengelius.

2) Cfr. Act. 13 : 19.

nonnulli prius idem fere significare iudicant atque posterius, nempe ut *παράβασεις* exorirentur. Provocant ad Rom. IV : 15, ubi ipse Paulus dixisset, sine lege Mosaïca non esse *παράβασιν*. Sed praeterquam quod articulus *τῶν* indicat Paulum dicere de *παραβάσεσι*, quae iam exstiterunt, locus hic ideo eorum sententiam haud confirmat, quia ibi sermo non est de lege Mosaïca, sed de unaquaque lege et sensus huius loci est: antequam homo peccati sui sibi conscius est factus, quando vitam agit, tamquam nulla ei sit lex, *παράβασις* non est.

Est haec sententia Meyeri aliorumque. Iudice Usterio locus noster idem significat ac Rom. III : 20, ubi lege *ἐπίγνωσις ἁμαρτίας* exorta esse dicitur. Sed confundit ille *παράβασεις* et *ἁμαρτίας*, nam de *ἐπίγνωσει παραβάσεων* nullo modo sermo esse potest. Melius alii explicant: ad transgressiones coërcendas; nam *χάριν* idem est ac *ἕνεκα*, *propter*, ita ut *παράβασεις* sint caussa legis ferendae 1).

Ita interpretantes, habemus alterum consilium prorsus alteri contrarium, *ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα* Rom. V : 20, de quorum verborum sensu quaestio esse nequit. Cum eo arcte cohaeret illud, Rom. VII : 13: *ἵνα γένηται καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸς ἡ ἁμαρτία διὰ τῆς ἐντολῆς*, ut peccatum quam maxime peccans deprehenderetur, non multorum iudicio, ut nonnulli, sed

---

1) Cfr. Clar. Hoekstra l. l. pag. 162 sqq.

a me, meis in oculis, ut recte Hengelius e contextu explicat. Quid enim referret utrum alii de malitiosa meorum peccatorum natura iudicarent? hoc tantum interest, mihi ipsi de meo peccato penitus persuasum esse.

Qui iudicant tale consilium legislatore esse indignum, cuius studium esse debet homines emendandi, non vero eorum delicta augendi, cogitent velim legem non fuisse institutum perpetuum, sed eam latam esse ad tempus, ratione habita hominum conditionis moralis 1). *Νόμος παρεισῆλθεν* (Rom. V : 20) i. e., ut apparet e contextu, lex venit in mundum iuxta peccatum, cuius auctor erat Adamus; *προσετέθη* (Gal. III : 19), addita est *τῇ διαθήκῃ*, antea cum Abrahamo initae, non ut semper maneret, sed *ἄχρις οὗ ἔλθῃ τὸ σπέρμα ᾧ ἐπήγγελται, πρὸ τοῦ ἐλθεῖν τὴν πίστιν* (vs. 23 et 25); vim suam amittit, *ὅτε ἦλθε τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου* (IV : 4). Sic lex non tam eo tetendit ut hominem emendaret, quam ut eum aptum redderet ad aliam conditionem, qua allata legis imperium cessaret. Quomodo autem tale consilium melius effici potuit, quam intima in homine excitanda suae miseriae persuasione? Tum aliam eamque meliorem conditionem exoptet necesse est, tum exclamat: *ταλαίπωρος ἔγω ἄνθρωπος, τίς με ῥύσεται ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου;* (Rom. VII : 24).

---

1) Cfr. 1 Tim. 1 : 8 sqq.

Quo autem statu utebantur sub lege? Erant tamquam captivi, *συγκεκλεισμένοι*, in carcerem coniecti sub lege custodiebantur, *ἐφρουρούμεθα* (Gal. III : 23, cfr. Rom. XI : 32), haud dissimiles *δούλῳ;* quemadmodum *ὁ κληρόνομος*, quamdiu est *νήπιος*, sic etiam ii erant *δεδουλωμένοι ὑπὸ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου* (Gal. IV : 1—3), quae sunt *ἀσθενῆ καὶ πτωχά* (vs. 9). Iure igitur lex dicitur *παιδαγωγός* (Gal. III : 24). Erat paedagogus servus, qui pueros custodiebat et eos in scholas magistrorum ducebat. Opponit Paulus paedagogum patri; Corinthii multos habebant *παιδαγωγούς*, quales erant eorum doctores, sed paucos *πατέρας*, qualem patrem ipse se iis praestitit (1 Cor. IV : 15). E toto contextu apparet legem hic non eo sensu paedagogum dici ut homines praeparet, instituat, quemadmodum multi contendunt, sed ut eos custodiat, quemadmodum servus puerum custodit. Minime tamen legi vim praeparatoriam denegamus: nam ex Pauli doctrina eo tendebat illa ut hominem aptum redderet ad meliorem conditionem, in qua non amplius servus, sed liber evaderet, huiusque desiderium in eo excitaret.

Τέλος νόμου est Christus (Rom. X : 4), hic finis est legis, ad eum accipiendum lex etiam homines praeparare studet.

---

§ 2.

De Iudaeorum conditione morali.

Animadvertimus, Paulum Iudaeis varia tribuisse iura egregia, quae a Deo prae Gentibus accepissent, in his in primis τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ et alia, quae memorat Rom. IX : 4, 5. Quum autem antea duce Apostolo probavimus, Gentium peccata excusari non posse, quia Deus se iis manifestaverat, iam videamus de Iudaeis, qui eo magis erant ἀναπολόγητοι, quia in eos tot beneficia erant collata, quibus Gentes erant destitutae.

Paulus, Rom. II : 17 sqq. Iudaeos alloquens, varia affert quibus illi gloriabantur: magni faciebant nomen, quod prae se ferebant, Iudaeorum, acquiescebant in lege, se efferebant communione inter Deum et populum suum, eius voluntatem cognoscebant et sic bona a malis discernebant, quippe qui lege edocebantur, ipsis persuasum erat se duces esse coecorum, lucem eorum qui sunt in tenebris, quales erant Gentes, insipientium magistros, infantium doctores, quia in lege habebant τὴν μόρφωσιν cognitionis et veritatis. His omnibus Paulus nihil opponit, ipsorum iura praecipua iis non negat, neque improbat eos haec in aliorum usum convertere voluisse. Quid vero? an haec, quibus gloriabantur, quae alios docebant, eos ipsos intactos relinquunt? Ironice igitur Iudaeum sic allo-

quitur 1) vs. 21 sqq.: alterumne doces, non vero te ipsum? furarisne ipse et moecharis, quum dicis non esse furandum nec moechandum? tu, qui falsos deos abominaris, spoliasne templum tibi sacrum? 2) qui gloriaris lege, legis transgressione Deum contumelia afficis? Porro ostendit Apostolus (vs. 25—29) circumcisionem per se nullam vim habere, nisi quis legem observet: hac enim neglecta illa nihil differt a praeputio. Et contra qui praeputium habet et legis Mosaïcae praecepta tenet, erit circumcisi instar et sua legis observantia iudicabit Iudaeum, legis violatorem.

Omnia externa vi carent coram Deo, qui tantum internam animi conditionem attendit.

Sic Iudaei, iudice Paulo, haud uno nomine ob vitia ipsorum erant accusandi: erant enim fures, adulteri, templi sui spoliatores, legis violatores. Quam sententiam quo magis confirmet, varios locos citat e V. T., quos refert ad insignem morum pravitatem Iudaeorum suae aetatis, quamquam etiam ad Gentes referri potue-

---

1) Nulla caussa esse videtur interrogandi signa cum nonnullis tollendi.

2) Exempla spoliationis templi, ab ipsis Levitis commissae, attulit Hengelius ad h. l., qui etiam probavit, ferri non posse multorum interpretationem voc. ἱεροσυλεῖν: *deorum templa spoliare.* Neque Paulus hac voce usus esset, si Iudaeis impietatem in Deum obiicere voluisset, ut nonnulli nostrum locum explicant.

runt Rom. III : 10—18. Hi loci, libere e LXX allati, Ps. XIV : 1—3, V : 9, CXL : 4, Ies. LIX : 7, 8, Ps. XXXVI : 2, universe hanc continent sententiam, neminem esse iustum, omnes a Deo defecisse et in morum corruptelam incidisse.

Iudaei proni erant ad exteros reprehendendos, parvi faciebant Gentes, nullam cum iis necessitudinem habebant, se ipsi ab iis discernebant ut bonos a malis. Quid vero? nonne his ipsis, quae in iis reprehendebant, semet ipsos damnabant, quippe idem facientes? 1) (Rom. II : 1). Iudicium Dei verum esse, unicuique erat cognitum; quomodo igitur Iudaei Dei iudicium effugerent? (vs. 2 sqq.) Etenim coram Deo nulla est *προσωποληψία* (vs. 4); Deus unicuique reddet secundum eius opera (vs. 6, quae sententia fuse explicatur vs. 7—10) 2). Iudaeis igitur, qui lege *δικαιοσύνην*

---

1) Novimus quidem de multorum sententia Paulum vs. 1—16 non ad Iudaeos se convertere sed aut ad omnes homines aut ad Gentes solum aut ad Iudaeos et Gentes. Sed e tota argumentatione, e more Apostoli Gentes a Iudaeis distinguendi, e vs. 17 in primis nobis apparere videtur eum solos Iudaeos alloqui.

2) Nuper (*Godgel. Bijdragen*, 1860 III.) Ven. W. H. v. d. Sande Bakhuizen in formula Rom. 2 : 9, 10 et 1 : 16 *Ἰουδαίῳ τε πρῶτον καὶ Ἕλληνι.* voc. *πρῶτον* delendum esse censuit. Etenim ex ipsius sententia de tempore explicari non potest, quia hoc pugnaret cum Rom. 9—12, ubi docetur Euangelium primum Gentibus annunciari; neque, ut non-

quaerebant, non sufficiebat eos *νόμου ἀκροατάς* esse, sed *ποιηταί νόμου* esse debebant, omnibus eius praeceptis obsequi. (II : 13).

Sic Paulus probavit neminem *ἐξ ἔργων νόμου δικαιοσύνην* consequi III : 20, Gal. II : 16. Qui in legis communione peccabat, constabat eum ad legis normam iudicatum iri Rom. II : 12. Ne quis obiiciat Iudaeos peccatorum suorum accusari non posse, quia ex Pauli doctrina legis consilium non erat homines iustos declarare: etenim, quamquam hoc facile largimur, perspicuum est, 'eos eo minus excusari posse quam Gentes, quia praeter fontes quibus hae utebantur ad Deum cognoscendum, habebant legem Mosaicam, qua caeteri populi erant destituti. 1)

---

nulli interpretantur, *potissimum*. Cfr. Rom. 2 : 4, 10 : 12, Gal. 5 : 6, 6 : 15, 1 Cor. 7 : 19. Propterea iudicat voc. πρῶτον a Iudaeo quodam esse interpolatum, quod non factum esse Rom. 3 : 9 nemo miratur. Rom. 1 : 16 Cod. B. vocabulum πρῶτον omittit.

1) Cfr. Doct. Verwijs, *Waarheid in liefde* 1837 III. pag. 543—561, *over de Joodsche wet;* 1837 II, *de leer van Paulus in eenige hoofddenkbeelden.* 1838 III, 1839 III, pag. 565.

Cfr. etiam Diss. Theologica Doct. Hamerster *de lege ex Pauli sententia*, Groninga 1838.

Nuper Clar. Rauwenhoff (Bijbelvriend, 1860, Afl. 5—7) scripsit „*de menschheid buiten Christus secundum Epist. ad Rom.*"

CAPUT III.

De caussa, cur genus humanum ante Christum δικαιοσύνην Θεοῦ non consecutum sit.

Novimus quomodo Paulus primum de Gentibus, tum de Iudaeis probaverit neutros *δικαιοσύνην Θεοῦ* consequi, argumento universe petito ex eorum omnium conditione morali.

Sed caussam, cur *omnes* hac conditione uterentur, nondum nobiscum communicavit Apostolus. Ad hanc intelligendam ducunt Rom. V : 12—21 et 1 Cor. XV : 45—49. Iam nullo populorum discrimine facto, totum genus humanum complectitur cum generis humani parente, primo Adamo, coniunctum, cui opponitur alter Adamus, quocum omnes coniungi debent, ut ad salutem perveniant. Ab illo mors, ab hoc vita est repetenda, ut ad salutem perveniant; ab altero condemnatio, ab altero iudicium probans.

Ipsam comparationem, quam Apostolus instituit inter utrumque Adamum, missam facimus: nobis nunc tantum videndum est de prima comparationis parte, ut quamnam vim generis humani parens iudice Apostolo in suam prolem habuerit, perspiciamus. Arcte apud Paulum coniunguntur peccatum et mors. Adamo auctore *ἡ ἁμαρτία* in mundum venit et per eam *ὁ θάνατος* (vs. 12). Quaenam autem mors sit intelli-

genda, iam diu interpretes torsit. De sensu, quem dicunt, spirituali sermo esse nequit, sed proprio sensu mors accipienda esse videtur; 1) apparet enim Paulum respicere veterem traditionem, omnibus notam et etiam a Rabbinis aliisque scriptoribus allatam, quam invenimus Gen. II : 17, III : 3, 4; non vero corporis tantum, sed *totius* hominis mors intelligenda est. Etenim animi immortalitatem neque Iudaei neque Paulus sibi informare poterant corpore mortuo; praeterea corporis mors minime pugnabat cum natura humana, (primus homo est *ἐκ γῆς χοϊκός* et *οἷος ὁ χοϊκός, τοιοῦτοι καὶ οἱ χοϊκοί* 1 Cor. XV : 47, 48, cfr. Gen. III : 19) nam ipse Christus mortem obiit, qui peccato non erat subiectus. Sed peccato totus homo moritur, amittit veram illam, aeternam vitam, cui a Deo erat destinatus et quam in communione cum Christo tantum recuperare potest. Si igitur quaeritur utrum Paulus docuerit Adamum, nisi peccavisset, mortem non obiturum fuisse neque caeteros homines, quando eo auctore peccatum non venisset in mundum et ipsi non peccavissent, hoc sane negandum est quod ad corporis mortem attinet: attamen peccatum est *τὸ κέντρον τοῦ θανάτου* (1 Cor. XV : 56), est quasi aculeus, qui hominum animis formidinem

---

1) De significatione voc. *θάνατος* apud veteres Israëlitas, de eius notione, qualis se in primis post exsilium Babylonicum excoluerit, cfr. Briet, *de Eschatologie volgens de Schriften des N. V.* vol. I, pag. 23—74, II p. 243—245.

iniecit, quod ipsa mors, si peccatum non adesset, non effecisset, quae tum unicuique fuisset transitus ad meliorem vitam 1). Paulus, mortem dicens *τὰ ὀψώνια τῆς ἁμαρτίας* (Rom. VI : 23), significat eam peccati esse mercedem, quam unusquisque qui peccat solvere debet 2).

Καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος 3) *διῆλθεν, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον* (*δι' ἀνθρώπου ὁ θάνατος* et *πάντες ἐν τῷ 'Αδὰμ ἀποθνήσκουσιν* 4) 1 Cor. XV : 21, 22), sic pergit vs. 12, quae verba Apodosin continere non censemus, sed opinamur potius totam sententiam esse protasin, cui Apodosis deëst, ut saepius apud Paulum, fervore orationis nonnulla interponentem, antequam sententia ad finem perducta est 5).

Sic peccatum, peccandi principium et per peccatum mors in mundum erat ingressa. Pergit Apostolus inverso

---

1) Cfr. ad h. l. Hengelius in *Comm. perp. ad prioris Pauli ad Cor. Epist Caput XV.*

2) Plura de hac quaestione inveniuntur apud Doct. F. Rauwenhoff in disq. exh *Pauli sententiam de vita in homine aeterna.*

3) In Codd. D. E. F. G. voc. ὁ θάνατος deest ante διῆλθεν; sed etiamsi omittendum, tamen subaudiendum est.

4) Voc. πάντες universe esse accipiendum, non tantum de Christianis, iudicat clar. Scholten, *Leer der Herv. kerk* (Ed. III) II pag. 98.

5) Nonnulli post διὰ τοῦτο supplent ἐστι v. c. Visseringius in 1° Ed., qui tamen in altera censuit Apodosin deesse.

ordine, et ex morte omnium omnes peccasse concludit; constat omnes post Adamum mortuos esse, quod fieri non potuerat nisi *ipsi* peccavissent. Quod pluribus persequitur vs. 13 et 17. Ab Adamo ad Mosen mors regnavit, etiamsi tum nulla erat lex scripta; per hoc tempus igitur de *παραβάσει*, qualis erat Adami, sermo esse non potuit, neque de *παραπτώματι* vel *παρακοῇ* proprio sensu. Attamen etiam tum, lege nondum lata, fuit *ἁμαρτία*, quamquam non *ἐλλογεῖται* (cfr. Rom. IV : 15); nisi enim peccatum adesset, neque mors regnare potuisset 1).

De modo, quo peccatum Adami et caeterorum hominum, *ἁμαρτία* et *θάνατος*, cohaereant, Paulus nihil monet. Sed hoc constat, et Augustinum et Pelagium Apostoli sententiam male tradidisse. Ut enim ab altera parte ostendit nos tantum morti subiectos esse ob nostra peccata, minime ob peccatum Adami, sic ab altera tamen vinculum statuit inter peccatum primi parentis et eius prolis. *Τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι οἱ πολλοὶ ἀπέθανον* (vs. 15), *ὁ θάνατος ἐβασίλευσε διὰ τοῦ ἑνός* (vs. 17) 2), lapsu unius factum est ut plures mortem obirent, ut mors regnaret auctore hoc uno. Paulus hic effectum pro caussa ponit: etenim Adami *παραπτώματι* factum est ut posteri peccarent

1) Explicatio verb. ἐφ᾽ ᾧ πάντες ἥμαρτον: in quo (Adamo) omnes peccaverunt, refutatione non amplius indiget.

2) Alii vs. 17 pro τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι legunt τῷ ἑνὶ παρ.

et proinde etiam morerentur. Quemadmodum Christi *δικαίωμα* iis tantum *εἰς δικαίωσιν ζωῆς* est, qui fidem in eum habent, sic etiam primi Adami peccatum mortem efficit eorum, qui ipsi peccaverunt, sed ipsorum peccato ansam dedit *ἡ ἁμαρτία* parentis.

Τὸ κρίμα ἐξ ἑνὸς (i. e. *ἁμαρτήσαντος*) *εἰς κατάκριμα* (vs. 16), *δι᾽ ἑνὸς παραπτώματος εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς κατάκριμα* (vs. 18). In utraque sententia simplicissimum nobis videtur vocabulum *ἐστί* supplere. Hoc igitur sibi vult Apostolus, factum esse uno peccatore, unius peccato ut iudicium fieret condemnans de omnibus iis, qui, ut ille, peccaverant.

Διὰ τῆς παρακοῆς τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν οἱ πολλοὶ (vs. 19), unius hominis inobedientia multi peccatores constituti sunt, quia ipsi etiam peccaverunt. Paucis doctrinam Pauli sic proponere licet: est arctum vinculum inter genus humanum et primum parentem, ut inter membra et caput; hoc peccante, peccatum in omnia membra transiit, eius peccatum, quemadmodum illorum, mors et condemnatio secutae sunt. Regnavit peccatum, ita ut mors consecuta sit (vs. 21). Apparet igitur, Paulum neque docuisse genus humanum peccasse tantum ad exemplum Adami, quae est Pelagii sententia, neque, ut iudicavit Augustinus, homines morti subiectos fuisse, ob parentis peccatum.

Sed non hac unice ratione Apostolus vinculum ostendit inter primum hominem et eius posteros: non tantum

per illum peccatum transiit ad hos et proinde etiam mors, sed alio etiam modo coniunguntur.

Hoc enim constat, nos esse qualis ille fuerit (1 Cor. XV : 48); ἐφορέσαμεν eius εἰκόνα (vs. 49); Aoristo utitur, quia sermo est ad Christianos, qui iam a Christo sunt regenerati ideoque Adami imaginem in vita sua praeterita tulerunt.

Qualis erat ille Adamus? Ἐγένετο ὁ πρῶτος ἄνθρωπος Ἀδὰμ εἰς ψυχὴν ζῶσαν (vs. 45), quae verba citat e Gen. II : 7, ubi vocabula πρῶτος et Ἀδάμ non occurrunt; erat etiam ἐκ γῆς χοϊκος. Uterque locus nobis idem significare videtur: quod enim ad posteriorem attinet, quamquam fortasse corporis originem ante oculos habuit, minime tamen eo sensu vocabula ἐκ γῆς et χοϊκός hic usurpantur. Quomodo enim tum Christus ei opponi potuisset, qui idem corpus habebat? Utroque loco Paulus Adamum proponit tamquam hominem psychicum, in quo principium animale regnabat, qui tantum res in sensus cadentes appetebat, in quo τὸ πνεῦμα adhuc sopore erat sopitum. Ut unusquisque prima pueritia vitam agit animalem, quae sensim paulatimque vitae rationali cedere debet, sic etiam primus generis humani parens erat homo psychicus 1), alter

---

1) Minus recte Briët l. l. pag. 247: „had Adam niet gezondigd, hij was geworden een πνεῦμα ζωοποιοῦν." Hoc prorsus pugnat cum Pauli effato 1 Cor. 15 : 46. Ut unusquisque homo, sic etiam Adamus, etiamsi non peccasset,

eius parens erat pneumaticus (vs. 46); erat alter, ut omnes eius posteri, *ἐν φθορᾷ, ἐν ἀτιμίᾳ, ἐν ἀδικίᾳ* 1), alter *ἐν ἀφθαρσίᾳ, ἐν δόξῃ, ἐν δύναμει;* alterius corpus erat *ψυχικόν*, in quo *ψυχή*, *πνευματικόν* alterius, in quo *πνεῦμα* primas agit partes (vs. 42—44). Ab altera parte stant omnes ii, qui cum primo, ab altera, qui cum secundo Adamo sunt coniuncti.

Iam nobis perspicuum est, cur, ut supra animadvertimus, nemo ante Christum *δικαιοσύνην Θεοῦ* sit consecutus. Principium animale iis omnibus cum Adamo est commune, appetunt tantum terrestria, quae a coelestibus eos avertunt; quid mirum eos, ut illum, in peccatum incidisse? Itaque, quamquam nullum vinculum exstare iudicamus inter peccatum et mortem, facimus cum Apostolo, totum genus humanum complectente, cuius altera pars cum Adamo, altera cum Christo est coniuncta et cum eo illum dicimus *τύπον τοῦ μέλλοντος* (Rom. V : 14), quo auctore unicuique pro peccato et morte iustitia et vita afferuntur.

---

primum *ψυχικός* fuisset. Recte Reuss l. l. II. p. 95: „Paul ne dit pas mot d'un changement que le péché d'Adam aurait introduit dans la nature humaine."

1) Perperam plures interpretes haec omnia ad hominum sepulturam referunt. Recte Calvinus: „praesentis vitae tempus Paulus metaphorice sationi comparat, resurrectionem vero messi." Cfr. Hengelius ad h. l. et Briëtius, l. l. II. pag. 265 sqq.

SECTIO II.

Paulus religionem Christianam contra nonnullorum errores defendit.

Paulum saepius in epistolis defensoris partes suscepisse, nemo ignorat. Aliquando se ipse suamque et agendi et muneris Apostolici obeundi rationem defendit, quo munere nonnulli eum indignum iudicabant; et quibus forma, qua Apostolus Euangelium suum praedicabat, non satis philosopha videbatur, iis haud obloquens, id minime in Euangelii detrimentum afferri posse ostendit. Sed hac via Paulum non sequimur: nostrum enim consilium non est eum audire se ipsum vel munus suum Apostolicum defendentem, sed vindicantem ipsum illud, quod commendabat, Euangelium. Etenim quum exposuimus qua ratione Paulus, aggredientis instar, ostenderet caeteras religiones ad hominum salutem non sufficere, iam, antequam ad alteram disquisitionis nostrae partem transeamus, ubi religionis christianae praestantiam spectandam praebebimus, duce Apostolo videamus quomodo nonnullorum errores refutaverit, ipsumque Euangelium tuitus ab iis sit, qui *τὴν ἀνάστασιν νεκρῶν* negabant. Sed primum paucis inquirere iuvat, quinam ipsam negarent qualemque *ἀνάστασιν* Paulus intellexerit.

Quinam essent illi· *τίνες*, quos Paulus dicit mor-

tuorum resurrectionem negasse, 1 Cor. XV : 12, iam ab antiquo inde tempore disputatum est. Qui Sadducaeos intelligendos esse ducunt, non cogitant Paulum verba facere ad eos, qui Christum e mortuis esse resuscitatum credebant, vs. 12; exinde enim tota eius argumentatio proficiscitur, hanc sententiam etiam a cavillatoribus illis esse acceptam. Neque hic de Epicureis sermonem esse, quae sententia e falsa interpretatione vs. 32 orta est, unusquisque intelligit. Alii iudicant, eos significari qui, ut Hymenaeus et Philetus 1), totum dogma allegorice explicabant, docentes resurrectionem iam peractam et nihil aliud esse quam morum emendationem. Cui sententiae ut faveamus, nulla caussa est in tota Pauli disputatione Cap. 15. Licet autem constet, hos cavillatores neque Sadducaeos, neque Epicureos neque allegoricae interpretationis fautores fuisse, difficilius tamen dictu videtur, quinam ii fuerint. Sane fuerunt Christiani, ut apparet e verbis *ἐν ὑμῖν* vs. 12, e Gentibus oriundi, sed utrum philosophi fuerint, quod, iudice Wettio, e populari Pauli refutatione non efficeres, mihi non constat 2). *Ἀνάστασις νεκρῶν* apud

---

1) Occurrunt formulae *ἀνάστασις νεκρῶν*, *ἡ ἀν. τῶν ν.*, *ἡ ἐξανάστασις τῶν ν.* (Phil. 3 : 11. A. D. E. al. *τὴν ἐκ ν.*)

2) Quaesiverunt V. D. ad quamnam sectam, Cap. 1 : 12 memoratam, illi cavillatores pertinuerint. De Meyeri sententia fuerunt ex iis, qui ab Apollo nomen gerebant. Sed nobis videtur argumentum nostri capitis cum litibus Cap. 1 : 12 nihil commune habere.

Paulum non, quemadmodum in Iudaeorum eschatologia, resurrectio tantum corporis erat, sicut e variis intelligitur locis, ubi vocabulum *νεκροί* occurrit. Ut e pluribus (Rom. XIV : 9, Col. I : 18 al.) unum tantum afferamus: quomodo 1 Cor. XV : 35 rogare potuisset: *ποίῳ σώματι ἔρχονται οἱ νεκροί;* si vocabulum *νεκροί* apud eum *corpora* significaret; tum enim dixisset: quo corpore veniunt corpora? quod absurdum. Sed neque doctrinam hic invenimus de animi immortalitate, quia neque Paulus neque alii scriptores N. T. vitam sibi proponere poterant sine corpore. Qui iam mortui sunt, dicuntur *κοιμηθέντες*, somno dediti, quales secundum Iudaeos ii sunt, qui in שְׁאוֹל versantur, cuiusmodi status *vita* dici non potuit. Hi una cum iis, qui tempore Christi *παρουσίας* adhuc in vivis erant, in vitam redirent (1 Cor. XV : 51, 52 cfr. 1 Thess. IV : 15 sqq.). Videmus igitur apud Paulum sermonem non esse de animi a corpore separati, sed de *totius* hominis resurrectione; *totus* homo ipsi videbatur immortalitati destinatus.

Sed iam audiamus qua ratione Apostolus eos refutaverit, qui immortalitatem tam corporis quam animi negarent, quo melius resurrectionis, ei animo obversatae, naturam intelligamus. Quo tempore Paulus hanc ad Corinthios epistolam scripsit, quatuor fere erant anni, quum in eorum urbe Ecclesiam condiderat. Tum alia tum hoc in primis iis tradiderat, Christum in vitam rediisse, quod crediderant et in qua fide adhuc stete-

rant (vs. 11). Sed iam nonnulli contendere coeperunt *ἀνάστασιν νεκρῶν* locum non habere, quam sententiam pluribus commendare expeditum erat. Christi in vitam reditum in dubium non vocabant: caeteroquin enim Paulus hinc orsus non esset ad aliam iis probandam, quam negabant. *Εἰ δὲ ἀνάστασις νεκρῶν οὐκ ἔστιν, οὐδὲ χριστὸς ἐγήγερται* (vs. 13). Nititur haec conclusio principio, quod attulit Grotius: „sublato genere tollitur et species." Christus, ipse homo, (vs. 21) in vitam redire non potuit, si caeteri homines in eam redire nequeunt.

Quid autem inde sequi necesse est? Si Christus in vitam revocatus non est, concludendum: *κενόν* esse *τὸ κήρυγμα ἡμῶν, κενὴν τὴν πίστιν ὑμῶν* (vs. 14) et *ματαίαν* (vs. 17), nos esse *ψευδομάρτυρας τοῦ Θεοῦ* (vs. 15), vos adhuc *ἐν ἁμαρτίαις ὑμῶν* (vs. 17), porro deperditos esse *τοὺς κοιμηθέντας ἐν χριστῷ* (vs. 18). — Paulum unice cogitasse de Christi e sepulcro resurrectione, vix credibile videtur. Verum quidem est, Apostolum in prima nostri capitis parte ipsam memorasse et varias, quibus Christus deinceps discipulis apparuerit, opportunitates attulisse (vs. 4—8); sed quaeritur tamen num igitur Pauli verba sic explicari oporteat: si Christus a discipulis suis tum non conspectus est, vana est vestra fides, vos adhuc estis in peccatis vestris iique, qui in communione Christi mortui sunt, spe deciderunt? Christus, e sepulcro discipulis obviam factus, eorum animum confirmare potuit, sed hinc fides non pendet;

hoc potius Paulus sibi vult: si Christus non vivit, si de peccato et morte non triumphavit, quid tum vobis prodesset vestra cum Christo necessitudo? cum eo demortui peccatis, minime cum eo viveretis. Et tum sane Euangelium, quod Corinthiis nunciaverat, vanum erat; falsum de Deo testatus erat, vana eorum fides, qui sperabant se cum Christo coniunctos a morte liberatos esse, re vera, ut antea, erant in suis peccatis, quippe qui falso iudicassent se iis esse demortuos, in communione Christi mortui erant deperditi, nulla vitae spes iis supererat 1). Huic Pauli de resurrectione sententiae, quam spiritualem dicere licet, aliam accedere postea videbimus. Apparet, eum hic cogitasse *ἀνάστασιν* eorum, qui in Christo fidem habebant, quamquam non negamus, etiam huic capiti vestigia *τῆς ἀποκαταστάσεως πάντων* inesse.

Sed reiicit Apostolus omnia ea, quae, si Christus in vitam non rediisset, inde sequerentur: nam omni dubio maius esse dicit eum vivere (vs. 20). Quum vero *ἀνάστασις νεκρῶν* non esset, quemadmodum Corinthii nonnulli contenderunt, nonne tum praestaret vitam exigere ad Epicureorum normam, quia post mortem nihil aliud nobis supersit (vs. 32)? Sic Paulus cavillatoribus illis probare conatur eos, quippe Christi *ἀναστάσει ἐκ νεκρῶν* fidem habentes, immerito negare eius sectatorum

---

1) Cfr. de toto hoc segmento Clar. Scholten l.l. I p. 142—146.

in vitam reditum. Praeterea refutat argumentum, quod huic doctrinae opponebant. Homo, ut aiebant, immortalitati non potest esse destinatus: quomodo enim quis sibi corpus fingeret quo in vitam rediret? (vs. 35). Ad hoc argumentum, quod ei stultum videbatur, Paulus respondet imagine petita e rerum natura, unicuique obvia: seritur granum cuiuscumque frumenti, ex quo, postquam dissolutum est, prodit culmus, quem Deus ei dare solet: sic etiam corpus, quo hac in terra induti sumus, moritur, quod necessarium est ut alio immortali corpore in vitam redeamus (vs. 36—38). Et cui hoc mirum videtur, quomodo e mortali corpore immortale prodeat, attendat quantum altera caro ab altera, corpora terrestria a coelestibus et haec inter se differant (39—41), neque amplius miretur Deum hominem altero corpore induere posse multo excelsiore, quam quo in hac terra utebatur.

Ut homo hac in vita corruptionis, dedecoris, imbecillitatis est particeps, sic resuscitatur corruptionis expers, gloriae, potestatis particeps; habet hic corpus *ψυχικόν*, ibi utetur corpore *πνευματικῷ* (vs. 42—45): nam hac in terra imaginem tulit terrestris, in altera vita coelestis imaginem feret (vs. 49). Hoc nostrum corpus *φθαρτόν*, *θνητόν* (vs. 53, 54), haec nostra *ἐπίγειος οἰκία τοῦ σκήνους* (2 Cor. V : 1), tentorium hocce, quod facile tollitur, alii aedificio opponitur a Deo confecto, *ἀχειροποιήτῳ*, *αἰωνίῳ ἐν τοῖς οὐρανοῖς*; quum in altero sumus (*ἐνδημοῦντες*), procul a Deo peregrinamur

(ἐκδημοῦμεν 2 Cor. V : 6), sed multo melius est ex corpore peregrinari et esse prope Deum (vs. 8). Omnibus igitur, qui ab altera vita in alteram transeunt, mutatio subeunda est (1 Cor. XV : 51); corruptioni obnoxium vestimentum deponere debet homo (ἐκδύσασθαι 2 Cor. V : 4), ut alio vestimento immortali, corruptionis experti induatur (ἐνδύσασθαι 1 Cor. XV : 53, 54).

Sed Paulus, epistolas ad Corinthios scribens, Christi παρουσίαν proxime instantem exspectabat; glorioso illo die nondum omnes mortem obiissent (vs. 51), in quorum numero etiam se ipsum fore sperabat (2 Cor. V : 3); hi igitur non uterentur statu illo somni, quo caeteri, qui iam antea erant mortui, continebantur (vs. 51); iis nullum vestimentum erat deponendum, sed tantum novum veteri superinduendum (ἐπενδύσασθαι 2 Cor. V : 2).

Iudaeorum more Apostolus hanc resurrectionem sibi proponebat; mutatio omnium, tam eorum qui adhuc in vivis erant, tempore παρουσίας Christi, quam mortuorum, temporis puncto, in coniectu oculi locum haberet, quum ultimus tubae clangor audiretur (1 Cor. XV : 52); mortui reviviscent, vivi mutabuntur, omnes variis ordinibus in vitam redibunt (vs. 23 sqq.) 1).

Hanc eschatologiam, e Gamalielis schola petitam, discipulus Christi non ubique tradit: saepius enim in scriptis Paulinis nullus est locus statui illi inter-

---

1) Cfr. 1 Thess. 4 : 16, 17.

medio inter mortem et resurrectionem (Rom. VI : 5, 8) 1).

Si quis miratur, in hac sectione non disputari de ratione qua Paulus Iudaeo-Christianismum refutaverit, cui oppugnando haud semel in eius epistolis locum esse constat, cogitet velim et plura, huc pertinentia, iam occurrere ea Sect. I Cap. II parte, qua sermo est de lege, ad hominem iustum declarandum non apta, et vero illius refutationis explicationem potius ad Polemicam, quam ad Apologeticam pertinere.

---

1) Cfr. Phil. 1 : 23.

PARS II (Positiva).

In priore nostrae disquisitionis parte animadvertimus et Gentium et Iudaeorum conditionem talem Paulo visam esse ut nemo coram Deo *δίκαιος* haberi possit. Iam videamus quanam unice via hominem veram iustitiam consequi putet.

CAPUT I.

De hominibus per Christum δικαιοσύνην Θεοῦ consequentibus.

Vera iustitia qualis sit ut recte intelligamus, Paulus eam opponit Iudaeorum iustitiae. Dicitur *illa δικαιοσύνη Θεοῦ* (Rom. I : 17, III : 21, 22, 2 Cor. V : 21), *ἡ τοῦ Θεοῦ δικαιοσύνη*, quam Iudaeus ignorabat (Rom. X : 3), ea hominis probitas, quae a Deo proficiscitur, 1) *haec ἰδία* (Rom. X : 3), quam homo sibi

---

1) Cfr. in primis Phil. 3 : 9, ubi ἡ ἐμὴ δικαιοσύνη opponitur τῇ δικαιοσύνῃ ἐκ Θεοῦ, cuius loci vim ad

acquirit suis viribus nitens; est altera *ἐκ τοῦ νόμου*, altera *πίστεως*, *διὰ πίστεως*, *ἐκ πίστεως*; qui illam quaerit, est *ἐργαζόμενος*, mercedem accipit, quae ei debetur, hanc petenti fides imputatur probitatis loco, *οὐ κατὰ ὀφείλημα*, sed *κατὰ χάριν* (Rom. IV : 4, 5). Quum in eum, qui e lege *δικαιοσύνην* quaerit, quadrat illud dictum Mosis (Lev. XVIII : 5): *ὁ ποιήσας αὐτὰ ζήσεται ἐν αὐτοῖς*, contra *ὁ ἐκ πίστεως δίκαιος* salutem non e longinquo petit, quasi ea longe absit, sed Christum salutis ducem habet (Rom. X : 6—8) 1) et ita fide in Deo posita iustitiam consequitur, quae alio modo frustra quaeritur (vs. 9). Praeterea est haec *δικαιοσύνη* universalis, unicuique *πιστεύοντι* obtingit (III : 22), nullo discrimine inter Iudaeum et Graecum (X : 12).

Hanc autem *δικαιοσύνην ἐκ πίστεως* non novam esse, V. T. prorsus ignotam, probat exemplum Abrahami (Rom. IV, Gal. III). Non memorat Scriptura

---

refutandos eos, qui *δικαιοσύνην Θεοῦ* explicant Dei proprietatem, iure urget Hengelius. Attamen Viro Cl., neganti Rom. 3 : 5, 25, 26 *Θεοῦ* esse genitivum subiectivum, non assentimur.

1) Haec verba partim libere ex versione Alex. Deut. 30 : 12—14 citata sunt, partim etiam ipsum Paulum auctorem habent. Plures interpretes putant Paulum illa verba allegorice esse interpretatum, quos in primis refutat Hengelius, quo iudice Apostolus ea ad suum usum accommodavit. Cfr. l. l. II pag. 499—520.

eius opera, sed fidem, quam Deo habuit, quae talis erat ut etiam in rebus desperatis eam servaret, eaque πίστις ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην. Hinc illi, qui ἐκ πίστεως sunt, veri Abrahami filii dici possunt.

Et haec vera δικαιοσύνη iam erat μαρτυρουμένη ὑπὸ τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν (Rom. III : 21); πίστις de Prophetae sententia (Hab. II : 4) vitae erat principium, quod probat eius dictum: ὁ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται (Rom. I : 17). In hac Pauli doctrina de δικαιοσύνη Θεοῦ Deus, Christus et homo locum tenent. Primum quaestio est de auctore salutis, tum de conditione, qua Deus hominem iustum declarat, tandem de via et ratione, qua Deus utitur ad hanc iustitiam in homine efficiendam. Itaque duce Apostolo singulatim has tres partes exponemus.

§ 1.

De Deo hominibus salutis auctore.

A Dei χάριτι hominum salutem esse repetendam, constans est Pauli doctrina. Eius favori immerito omnia bona sunt tribuenda, quae accipimus, nihil exigere possumus, tamquam Deus nobis aliquid debeat. Haec igitur χάρις excludit omnia ἔργα, quibus homo mercedem accipit κατὰ ὀφείλημα (Rom. X : 6), est tamquam δωρεά (V : 15), quae libere a Deo homini

offertur, V. T. oeconomiae opponitur (Rom. V : 2, Gal V : 4). Quamquam ea proprie a Dei amore non differt, efficacius tamen indicat nullum hominis coram Deo esse meritum, quo glorietur 1).

Deus, quippe immutabilis, ab omni aeternitate hominum salutem spectavit. Est decretum eius absolutum, πρόθεσις (Rom. VIII: 28) ante mundum conditum, ab infinito tempore 2), κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις, (Rom. IX : 11) propositum, ut Meyerus explicat, ita captum ut electio sequeretur 3). Hanc electionem non fieri ratione habita nostrorum meritorum, diserte docet contextus: etenim antequam Iacobus et Esavus nati essent et boni aut mali quid perfecissent, locum habuit οὐκ ἐξ ἔργων ἀλλ' ἐκ τοῦ καλοῦντος (vs. 11). Est ἐκλογὴ χάριτος (XI : 5), soli Dei favori tribuenda. Hoc propositum, quam electio sequebatur, complectitur πρόγνωσιν et προορισμόν (VIII : 29). Perperam nonnullis hanc πρόγνωσιν videri ex voluntate humana pendentem, docet alterius vocabuli notio, quae diserte *praedestinationem* significat 4). Iam vero quos praenovit Deus, hos etiam

---

1) Notum est vocabulum χάριν apud Paulum plures habere significationes. Cfr. de iis Reuss l. l. II pag. 66.

2) Cfr. Eph. I : 4.

3) „Le décret absolu se manifeste par l'élection individuelle." Reuss. l. l. pag. 109.

4) „De πρόγνωσις is Gods eeuwige voorkennis, volgens welke hij de verwezenlijking van het gelegde wereldplan reeds in de idee van eeuwigheid aanschouwt. Eene armi-

ante constituit *συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ;* et hos *ἐκάλεσε* (vs. 30). Saepius in N. T. *κλῆσις* tantum significat invitationem et *κλῆτοι* opponuntur *τοῖς ἐκλεκτοῖς* (Matth. XX : 16, XXII : 14) sed nostro saltem` loco haec invitandi notio non sufficit. Quomodo enim Apostolus dixisset, Deum eos vocasse, i. e. Euangelio cum iis communicando invitasse, nescium eine obsequerentur nec ne, quos praenovit et praedestinavit ad Christi imaginis similitudinem? Praeterea num Deus *ἐδικαίωσε* eos, de quorum fide non constabat? Sine ullo dubio, nostro loco *κλῆτοι* non tantum sunt *οἱ ἀκούοντες τοῦ κηρύσσοντος*, sed etiam *πιστεύοντες* (cfr. etiam X : 14). Est hoc igitur discrimen inter *ἐκλογήν* et *κλῆσιν*, alteram e mente Pauli locum habere ante mundum conditum, alteram opportunitate traditi Euangelii.

Οἱ ἀγαπῶντες τὸν Θεόν dicuntur *κλητοὶ κατὰ πρόθεσιν* (VIII : 28). Ipse Deus homines vocat, *ὁ καλῶν* (Rom. IX : 11) et quidem *ἐν χάριτι* (Gal. I : 6), *διὰ τῆς χάριτος αὐτοῦ* (vs. 15); haec *κλῆσις* dicitur *ἀμεταμέλητος* (Rom. XI : 29), cuius Deum non poenitet.

Quos Deus ita vocavit et ad fidem perduxit, hos etiam *ἐδικαίωσε*. Quemadmodum igitur fides conditio neces-

---

niaansche *praevisa fides* kent Paulus niet. Zoo als God de zijnen gekend heeft, zoo zullen zij ook worden, t. w. *συμμορφοὶ τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ.*" Scholten l. l. II pag. 81.

saria est, qua homo iustus habetur, quia Deus *δικαιοῖ* tantum *κλητούς*, i. e. ad fidem iam perductos, sic ratio, qua Deus utitur ut haec *δικαίωσις* re vera locum habere possit, est *ἡ ἀπολύτρωσις ἡ ἐν Χρ. Ι.* (III : 24). Sed de his postea videbimus.

Prima *τῆς δικαιώσεως* caussa cernitur in Dei *χάριτι*, homo *δικαιοῦται δωρεάν* (III : 24), *δικαίωσιν* tamquam donum accipit, nullum est eius meritum. Qui *ἐξ ἔργων νόμου δικαιοῦται*, habet gloriandi materiem, exigit quod ei debetur, contra is, qui *δωρεὰν δικαιοῦται*, coram Deo nullum habet *καύχημα* (III : 27, IV : 2), sed eius gratiae omnia debet. Deus igitur hominem *δικαιοῖ* (Rom. III : 26, 30, IV : 5, VIII : 30, 33, Gal. III : 8), eaque *τοῦ δικαιοῦντος* actio dicitur *ἡ δικαίωσις* 1) (Rom. IV : 25, V : 18), qua

---

1) Minus recte Reuss. l. l. pag. 173, *δικαίωμα* Rom. 5 : 16, ubi opponitur *κατακρίματι*, cum *δικαιοσύνη* confundit. Caeterum quaestionem de notione *τῆς δικαιώσεως* hic fuse tractare non possumus. Cfr. in primis Rauwenhoff in disquisitione *de loco Paulino, qui est de δικαίωσει*, et, qui in aliam sententiam abit, Doct. Lipsius in opusculo, „*die Paulinische Rechtfertigungslehre nach den vier Hauptbriefen des Apostels*."

Animadvertendum tamen, ipsum Clar. Rauwenhoff reiecisse discrimen, quod antea vindicavit inter actum Dei *efficientem* hominum salutem et actum Dei *declaratorium*, quo fideles iustos declarat, quorum alter esset caussa iustificationis, alter iustificatio ipsa (l. l. pag. 41), de qua distinctione Lipsius (l. l. pag. 19): „man sieht ferner dass die ganze Scheidung auf eine dialectische Spitzfindigkeit hinauslauft."

Deus hominem probat, iustum habet et declarat, quapropter dicitur *δίκαιος*, *δίκαιος καθίστασθαι* (V: 19) 1), probus constitutus, in proborum classe collocatus esse. Quaestio saepius agitata est, utrum hic re vera omni peccato immunis sit, quod sane negandum: homo, coram Deo *δίκαιος*, nondum est *ἅγιος*, sed, ut postea videbimus, *ὁ ἐκ πίστεως δίκαιος* in proborum classe a Deo collocari potest, quia in eo principium inest, quod postea magis magisque excolitur.

Conditio, qua utitur *δίκαιος*, est *δικαιοσύνη*, *δικαιοσύνη Θεοῦ*, quae Deum habet auctorem, ab eo proficiscitur, quam *ὁ Θεὸς λογίζεται* (IV : 6, 11), quae insolentior dictio, ut animadvertit Hengelius, inde profecta videtur, quod infra sequitur: *ᾧ οὐ μὴ λογίσηται Κύριος ἁμαρτίαν* (vs. 8). Est tamquam *δωρεά* (V : 17), qua Deus homines donavit, qui doni abundantiam (*τὴν περισσείαν τῆς δωρεᾶς*), cuius caussa est gratia, accipiunt. Non est quod animadvertamus, his verbis perspicue nobis indolem verae iustitiae depingi, quatenus haec Iudaeorum *δικαιοσύνη* est opposita.

Cfr. *Godgel. Bijdragen* (1860, I pag. 83): „men doet derhalve ook niet goed als men spreekt van een actus Dei *declaratorius* in onderscheiding van een actus Dei *efficiens*, want daarmede verloochent men het zuiver anthropologisch karakter der regtvaardigingsleer."

1) Futuro *κατασταθήσονται* propterea utitur Paulus, quia tempus indicat, quo *οἱ πολλοί* per Christi *ὑπακοὴν* in proborum classe collocati essent.

Ultimo loco addit Apostolus: *οὓς ἐδικαίωσε, τούτους καὶ ἐδόξασε.* Plures interpretes hoc vocabulum explicuerunt de gloria externa, cuius aliquando *οἱ πιστεύοντες* participes forent, quam futuram felicitatem Paulus proposuisset quasi iam adesset. Et sane hoc sensu saepius Aoristus in scriptis quoque N. T. occurrit; sed nobis praestare videtur huic vocabulo eandem praeteriti notionem tribuere ac caeteris vocabulis, s. 29 et 30 obviis. Itaque cum Chrysostomo aliisque gloriam intelligimus, quam Deus hominibus adoptione et S. S. donis impertivit.

Vidimus primum salutis auctorem hominibus esse Deum, cuius gratiae *ἡ ἐκλογή, κλῆσις, δικαίωσις* et *δόξα* sunt tribuenda. Sed in primis nobis spectandum est illud Dei donum, quod spiritum divinum nobiscum communicatum continet, quo novae vitae principium exoriatur necesse est.

Varia nomina, quibus hoc *πνεῦμα* insignitur, *πνεῦμα τοῦ Θεοῦ, ἐκ τοῦ Θεοῦ, τοῦ Κυρίου, Χριστοῦ, τὸ ἅγιον* eodem redeunt. Ut in homine saepius *τὸ πνεῦμα* a caeteris partibus distinguitur, sic etiam Paulus Deum et eius *πνεῦμα* nonnumquam distinxit (Rom. VIII : 11, 1 Cor. II : 10, 11), quamquam ipse Deus est *πνεῦμα* (cfr. Ioh. IV : 24). Hoc *πνεῦμα* Deus dicitur hominibus *διδόναι* (2 Cor. I : 22), *ἐπιχορηγεῖν* (Gal. III : 5), *ἐξαποστέλλειν εἰς τὰς καρδίας* (Gal. IV : 6), illudque homo *λαμβάνει* (1 Cor. II : 12, Gal. III : 2). Quum hic Dei spiritus alibi dicitur locum tenens iuxta humanum spiritum, ita ut uterque idem testetur

(*αὐτὸ τὸ πνεῦμα συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ἡμῶν* Rom. VIII : 16), alibi vero habitans in nobis (*οἰκεῖν, εἶναι ἐν ἡμῖν* Rom. VIII : 11, 1 Cor. III : 16, VI : 19), ita ut corpus nostrum S. S. templum sit (1 Cor. VI : 19), Apostolus varios gradus significat: in alio Dei spiritus humanum spiritum perfundit ac sanctum reddit, ita tamen ut ei adhuc locum cedat, in alio vero tabernaculum ponit, ita ut ei amplius vix locus supersit. Qui arctissimo vinculo cum Domino suo est coniunctus, unus cum eo est spiritus (*ὁ κολλώμενος τῷ κυρίῳ ἓν πνεῦμά ἐστι* 1 Cor. VI : 17); unum corpus efficere debent omnes *πιστεύοντες*, qui uno eodemque spiritu sunt imbuti (1 Cor. XII : 13). Minime igitur Paulus docet, Deum spiritum suum subito et tamquam uno temporis momento hominum animis infundere: quem Deus vocavit, i. e. Euangelii commendatione ad fidem perduxit, is S. S. imbuitur (Gal. III : 2, 5), Iesum Dominum suum agnoscit (1 Cor. XII : 3); procul tamen abest ut statim unus spiritus cum eo sit factus.

Ut S. S. natura recte intelligatur, opponitur *τῷ πνεύματι τοῦ κόσμου* (1 Cor. II : 12), quo utitur homo psychicus, quo omnia ea, quae Dei spiritus sunt, reiicit, quia ei stulta videntur (vs. 14).

Quaerentibus, quid S. S. donum in nobis efficiat, haud una responsio parata est. S. S. ope amor Dei in homine effusus est, hoc novo principio conscientia Dei erga homines amoris exoritur, ita ut, etiam si

malis affligamur, nulla de eo dubitandi ratio supersit (Rom. V : 5). Quae antea erant obscura, iam clara et perspicua fiunt.

Hoc divino spiritu imbuti, vitam agimus secundum eius principia (Rom. VIII : 4), studemus iis, quae sunt τοῦ πνεύματος (vs. 5), ex quo studio efflorescit pax inter Deum et hominem, quae verae vitae est fons (vs. 6). Quotquot Dei spiritu aguntur, novam cum Deo ineunt societatem; non amplius sunt δοῦλοι, quos tenet spiritus timoris, sed Dei sunt filii, spiritum acceperunt, qualis est filiorum adoptatorum, Deum adeunt Patrem (Rom. VIII : 14, 15, Gal. IV : 5, 6); et quia sunt filii, etiam heredes sunt Dei, bonorum, quae iam Christus possedit, aliquando compotes fient (Rom. VIII : 17, Gal. IV : 7) 1). Ubi hic Spiritus est, homines vera libertate fruuntur (2 Cor. III : 17). Non amplius externae legi sunt obstricti, tamquam γράμματι, cuius praeceptis obsequi non poterant et quae propterea iis mortis erat caussa: novo principio ducti, libere ad Dei voluntatem se dirigunt, hoc

---

1) Paulum non Hebraei, quemadmodum Philippus contendit, sed Romani iuris rationem habuisse, plures animadverterunt interpretes. Etenim hi filias non excludebant a patrimonio, ut illi; apud Romanos liberi utriusque sexus erant heredes, apud Hebraeos filiae exceptae. Paulum ius Romanum spectasse, apparet etiam e paedagogis Gal. 3 : 25, qui Hebraeis prorsus erant ignoti, ut animadvertit Hengelius ad h. l.

πνεῦμα iis fons est vitae vere vitalis (2 Cor. III : 6, 7, Rom. VII : 6).

Iam nobis perspicuum est, ex Pauli doctrina a Dei gratia salutem nostram esse repetendam. Qui igitur a Deo in proborum classe est collocatus, nullam habet gloriandi caussam; eius *δικαιοσύνη* non est *ἰδία*, propriis viribus comparata, sed est *Θεοῦ*, quippe ab eo profecta. Sed Deus non tantum amorem, verum etiam iustitiam suam hominibus probare voluit; inter utrumque pugna esse nequit. Quaestio igitur nunc est, quomodo Deus, salva sua ipsius iustitia, (*εἰς τὸ εἶναι αὐτον δίκαιον* Rom. III : 26) hominem iustum declaret.

§ 2.

De conditione qua Deus hominem iustum declarat.

Fides est conditio, qua homo *δικαιοσύνην Θεοῦ* consequitur. Ut autem recte intelligamus, quomodo homo *πίστεως* ope coram Deo iustus haberi possit, fidei natura nobis erit exploranda. Primum autem animadvertendum, etiam hanc *πίστιν* Dei gratiae esse tribuendam. Etenim vidimus Deum hominem *καλεῖν*, cui vocabulo non tantum invitandi, sed etiam ad fidem perducendi notionem inesse, probavimus.

Deus dicitur (Rom. XII: 3) ἑκαστῷ μερίζειν τὸ μέτρον τῆς πίστεως. Et ne plures locos citemus 1), fidei indoles, qualem Paulus eam sibi proposuit, tam perspicue omne hominum meritum excludit, ut Dei tantum χάριτι locus supersit. Ipse Paulus numquam τὴν πίστιν definivit. Num sufficit igitur etymologice huius vocabuli notionem explorare et inde efficere significationem, quam Apostolus ei tribuerit? Et si nobis apparet πιστεύειν proprie tantum significare: *credere*, *pro vero habere*, *accipere*, num ei tum in nullis non scriptorum Paulinorum locis hanc tantum notionem tribuemus? Sane, quamquam de grammatices auctoritate nihil quidquam detractum volumus, non sufficit ea ad intimam scriptoris persuasionem cognoscendam; psychologice in primis in eius sententiam inquirendum est, saepe contextus nobis viam ostendet, quam ineamus.

Quod ad fontem attinet, unde fides manat, dicitur ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς, (Rom. X : 17; Gal. I : 2, 5 ἡ ἀκοὴ τῆς πίστεως), i. e. ut ad fidem perveniamus, opus est nuntio, quem dicentem audimus; nam quamquam multi huic aures non praebuerunt (vs. 16), fieri tamen non potest ut fidem habeamus, nisi nuncium audiamus (vs. 14). Paulus quum porro dicit hanc ἀκοὴν esse διὰ ῥήματος Θεοῦ, significat eam patefactioni divinae deberi. Apostolus etiam se ipsum et Apollon διακόνους dicit,

---

1) Cfr. Eph. 2 : 8, Phil. 1 : 29, Col. 2 : 12, 1 Cor. 12 : 9.

quorum oratione patefactio divina ad Corinthiorum aures erat perlata ipsique ad fidem pervenerant (1 Cor. III : 5). Initio haec fides in lucem prodit nuncio Euangelii accipiendo, pro vero habendis omnibus iis quae ad nos perferuntur. Est hic primus fidei gradus, postea demum altius escendere licebit. Non enim in omnibus eandem esse fidem, sed varios eius esse gradus, unusquisque concedit, et ipse Paulus docet, ubi lectores epistolae suae adhortatur (Rom. XIV : 1), ut in suam communionem recipiant *τὸν ἀσθενοῦντα τῇ πίστει*, et Deus dicitur unicuique tribuisse *μέτρον τῆς πίστεως* (XII : 3).

Saepius hac *credendi* significatione vocabulum *πιστεύειν* occurrit, e. c. ubi Paulus 1 Cor. XI : 18 dicit, se accepisse de schismatibus inter Corinthios, et addit: *μέρος τι πιστεύω*, partim huic nuncio fidem habeo, nulla est caussa cur ei omnem fidem negem. Pariter 1 Cor. XV : 11 affirmat, Ecclesiam Corinthiam denunciationem Euangelii pro vera habuisse. Et quum legimus Rom. VI : 8: *εἰ δὲ ἀπεθάνομεν σὺν Χριστῷ, πιστεύομεν ὅτι καὶ συζήσομεν αὐτῷ*, Apostolus se tam certo, ut nullum amplius dubium supersit, scire significat omnes, qui cum Christo mortui sunt, etiam cum eo vitae participes fore. His igitur locis omnibus fides ad intellectum tantum pertinet: homo mente sua credit, pro vero habet, quae ei nunciantur. Sed quid statuendum de hac fidei notione iis in primis locis, quibus ipsa conditio est *τῆς δικαιοσύνης*, et

ἡ πίστις λογίζεται εἰς δικαιοσύνην? 1) Videamus primum de locis, quibus *πίστις* et *πιστεύειν* occurrunt absolute posita.

Πίστις nonnumquam significat *religionem Christianam:* sic Paulus Gal. I : 23 dicit Iudaeorum Ecclesias accepisse eum, qui antea eos persecutus esset, nunc denunciare *τὴν πίστιν ἥν ποτε ἐπόρθει;* III : 23 et 25 *πίστις* et *νόμος* sibi opponuntur, quatenus alter ad Iudaeismum pertinebat, altera novae religionis erat propria; tandem VI : 10 Christiani dicuntur *οἱ οἰκεῖοι τῆς πίστεως.*

Quando Apostolus ad Romanos scribit (I : 8) se Deo suo gratias agere per Iesum Christum, quod eorum fides ubivis celebretur, non sane cogitat de mentis persuasione, qualis conspicitur in Euangelio pro vero habendo. Etenim haec ei non tantam materiem praebuisset Deo gratias agendi. Pariter ac vs. 12, quo loco dicit se flagrare desiderio Romanos visendi, ut mutua fide invicem erigantur, significat principium

---

1) Ven. Wernink *(Exegetische Studiën over πίστις en πιστεύειν in het N. T.)* affirmat notionem τοῦ πιστεύειν ubivis in N. T. unam eandemque esse, *credendi, pro vero habendi.* Sed quoniam e. c. pag. 23 dicit: „men heeft het geloof als eene bezielende kracht, een door alles heendringenden zuurdeesem zich voor te stellen," et pag. 26 : „tot behoudenis der ziel wordt een geloof vereischt, 't welk zich in den mensch als een levend beginsel doet kennen," haud scio an ipse concedat, talem fidei notionem non sufficere.

religiosum, in obediendo Deo eique se tradendo conspicuum. Et hanc fidem verae vitae esse fontem, ex ea tantum vitam beatam manare, confirmat dicto prophetae laudando: ὁ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται (Rom. I : 17, Gal. III : 11). Est porro ea, in Deo ponenda, fiducia quae minui non potest, qualis erat Abrahami fides (4 : 19), quae de Dei promissis numquam dubitabat. Rom. XIV : 2, 22, 23 πίστις est intima animi persuasio, quae non ex aliorum iudicio pendet, sed Deum unice iudicem suum agnoscit; propterea ὃ οὐκ ἐκ πίστεως est ἁμαρτία. Non talis fidei Apostolus auctor esse voluit, quae in sapientia humana cernitur eaque comparatur, sed quae est ἐν δυνάμει Θεοῦ (1 Cor. II : 5), quae ad salutem ducit (Rom. I : 16), quibus diserte indicat in vera fide describenda non tantum mentis persuasionem ei obversatam esse. Si 1 Cor. XIII : 2 contendit, fidem sine amore nihil valere, non sane eandem rem significat atque Gal. V : 6, quo loco πίστις describitur δι' ἀγαπῆς ἐνεργουμένη; est enim haec principium religiosum, quae sine amore cogitari nequit, illa autem habet confidendi notionem, nondum valde excultam. Eadem significatione dicitur ἡ ἀγάπη πάντα πιστεύειν (1 Cor. XIII : 7) et (vs. 13) πίστις μένειν, ea nempe, cui praestat ἡ ἀγάπη.

Qui talem in Deo fiduciam posuit, ut dubio non amplius locus supersit, alios etiam socios nancisci cumque iis hoc donum communicare cupit: ἡμεῖς πιστεύομεν, διὸ καὶ λαλοῦμεν (2 Cor. IV : 13). Verae

fidei sedes non est in mente, ita ut ad salutem consequendam sufficiat doctrinam quandam profiteri, sed *ἐν καρδίᾳ*, ita ut nos prorsus Deo confidamus (Rom. X : 9) 1). Quorum animus hoc principio religioso penitus est imbutus, qui in hac fide vivunt, dicuntur *οἱ ἐκ πίστεως* (Gal. III : 7); sunt hi veri filii Abrahami, beneficiorum ei promissorum compotes fiunt (vs. 9), accipiunt *διὰ τῆς πίστεως τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πνεύματος* (vs. 14).

Ut omnia bona manant e spiritu illo sancto, quem Deus cum hominibus communicat, sic etiam *ἡ πίστις* est *κάρπος τοῦ πνεύματος* (Gal. V : 22). Apparet fidei ratione habita omne meritum a parte hominum excludi; *ὁ πιστεύων* Dei gratiae tribuit omnia, quae habet (Rom. IV : 16). Propterea (IV : 14, IX : 32) ea opponitur *τῷ νόμῳ*, et *ὁ νόμος πίστεως τῷ νόμῳ ἔργων* (III : 27); principium illud, quo fides hominem imbuit, prorsus alienum est a lege (Gal. III : 12).

Paulus extrema epistolae ad Romanos parte exoptat, ut Deus lectores impleat omni *χαρᾷ καὶ εἰρήνῃ ἐν τῷ*

---

1) Sic quoque Clar. Vinke in Oratione *de vera fidei christianae notione, nostris praesertim temporibus, memoria tenenda et in omnium animis imprimenda*, ubi de fidei indole dicit, negat eam „in una mentis persuasione de veritate eorum, quae credenda sunt, cerni" (pag. 7). Tum „Iidem, inquit, contendimus principem et propriam fidei Christianae sedem esse in animo." (pag. 9). Cfr. in primis pag. 7—11.

πιστεύειν, ut abundent *ἐν τῇ ἐλπίδι ἐν δυνάμει πνεύματος ἁγίου* (Rom. XV : 13).

Iam praecipuos locos attulimus, quibus verba *πίστις* et *πιστεύειν* occurrunt absolute posita 1); vidimus non semper unam eandemque illorum notionem esse; e contextu, ni fallor, satis probavimus, notionem persuasionis mentis, quam nonnulli tantum agnoscunt, pluribus locis non sufficere.

Iam attendamus locos, quibus vocabula *πίστις* et *πιστεύειν* non occurrunt absolute posita, sed *πίστις* cum genitivo, cum praepositione *εἰς* et *πρός*, *πιστεύειν* cum dativo, *ὅτι*, *εἰς* et *ἐπί* cum accusativo et dativo.

Deus diserte fidei obiectum indicatur Rom. IV : 3, 5, 24, X : 9, Gal. III : 6.

Abrahami fides Christi quoque asseclis exemplo proponitur: *οἱ ἐκ πίστεως* demum veri Abrahami sunt filii (Gal. III : 7). Qualis igitur patriarchae erat *πίστις*? *Ἐπίστευσε τῷ Θεῷ* (Rom. IV : 1, Gal. I : 6); in Deo omnem suam fiduciam ponebat, et quamquam ratio vix ferebat ut Dei promissis fidem haberet, tamen non dubitabat, quia intime ei erat persuasum fore ut, qui promissa fecerat, iis etiam staret, quia potestas ei non deesset. Qui talem habet fidem, a Dei gratia omnia exspectat; non est mer-

---

1) Rom. 5 : 2 non citavimus, quia cum Tischendorfio aliisque voc. *τῇ πίστει* expellenda esse ducimus.

De loco celeberrimo Rom. 3 : 25 postea videbimus.

cenarii loco, qui exigit mercedem quae ei debetur, sed *πιστεύει ἐπὶ τὸν δικαιοῦντα τὸν ἀσεβῆ* (Rom. IV : 5). *Πιστεύειν* cum praep. *ἐπί* cum accusativo significat: *fidem alicui adhibere, adiungere,* et vix differt a *πιστεύειν* cum praep. *εἰς*. Formula nostra proponit hominem Deo obedientem et se totum ei tradentem; nulla est caussa dubitandi an Deus impium etiam probet, in quo, quippe *πιστεύοντι*, iam novae vitae principium viget.

Haec Abrahami fides coram Deo iustitiae loco censetur, *λογίζεται αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην*. Quod non tantum de eo valet, sed de omnibus, *τοῖς πιστεύουσιν ἐπὶ τὸν ἐγείραντα Ἰησοῦν τὸν κύριον ἡμῶν ἐκ νεκρῶν* (vs. 24). Quod ad naturam attinet, Christianorum fides non differt ab Abrahami fide, contra hi dicuntur *ἐκ πίστεως Ἀβραάμ* (vs. 16), attamen Deo, fidei obiecto, tamquam novum attributum additur, Abrahamo ignotum, eum nempe Iesum e mortuis in vitam revocasse. Qui hanc fidem habet in Deo, qui hoc facto probavit, Iesum esse *υἱὸν Θεοῦ* (Rom. I : 4), necessario totum se ei tradit, non dubitans, quin Deus cum Christo omnes, peccato demortuos, ad veram vitam ducturus sit (cfr. 2 Cor. IV : 14).

Idem significat Apostolus Rom. X : 9, dicens eum salutis participem fore, qui non tantum ore Iesum profitetur dominum, sed etiam *ἐν καρδίᾳ πιστεύει ὅτι ὁ Θεὸς αὐτὸν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν*. Ne hic cum nonnullis *τῷ πιστεύειν* notionem tribuamus: *credendi, pro vero*

habendi, illud ipsum vetat, quod adiicitur *ἐν τῇ καρδίᾳ*; praeterea vix credibile est, iudice Paulo, hominis salutem ex mentis persuasione pendere 1).

Si Rom. IX : 33 et X : 11 occurrit formula *πιστεύειν ἐπὶ* cum dativo, (cit. e Ies. XXVIII : 16) significatur fides, quam quis ponit in eo, qui hac fide dignus est 2).

Constat igitur iis locis, quibus Deus diserte fidei obiectum indicatur, et fides necessaria conditio est, qua homo *δικαιοσύνην* consequatur, *πίστιν* esse sensum illum religiosum, quo nos Deo tamquam patri nostro tradimus, quia nobis persuasum est neque mortem, neque vitam, neque aliud quid nos posse detrahere ab amore Dei, in Christo omnium maxime conspicuo (Rom. VIII : 38).

In scriptis Paulinis septies occurrit formula *ἡ πίστις Ἰησοῦ χριστοῦ*: Rom. III : 22, 26 3), Gal. II : 16, 20, III : 22, Eph. III : 12, Phil. III : 9. Quaeritur,

---

1) Minus recte Wernink l. l. pag. 113: „geloof aan het feit dat God Jezus uit de dooden heeft opgewekt, is = geloof in Jezus:" potius = geloof in God, quod liquet e comparatione cum Rom. 4 : 4.

2) 1 Thess. 1 : 8 occurrit formula ἡ πίστις πρὸς τὸν Θεόν, quae eodem redit ac πίστις εἰς et ἐπί Θεόν. Sic etiam Philem. 5 : ἡ πίστις ἣν ἔχεις πρὸς τὸν Κύριον Ἰησοῦν.

3) Cum Ed. Recepta voc. Ἰησοῦ Rom. 3 : 26 contra Tischendorfium servamus. Habet illud quoque Cod. Vat. sec. ed. Cll. Kuenen et Cobet.

utrum *I. X.* sit genitivus obiectivus et ita fidei obiectum, an vero subiectivus, ita ut Deus sit obiectum, quemadmodum in locis antea citatis.

Ad nostrum usque tempus omnes fere interpretes sententiam tuiti sunt genitivum *I. X.* fidei obiectum indicare, ideoque *π. I. X.* non differre a formula *π. εἰς I. X.*, aliis locis obvia. Hanc sententiam in patria nostra in primis impugnarunt Hengelius, 1) Scholtenius, 2) et in peculiari de hoc argumento disquisitione Berlagius, 3) qui probare conati sunt antiquam sententiam ferri non posse et *πίστιν I. X.* esse explicandam: fidem, cuius Iesus Christus auctor sit. Minime tamen iis contigit omnibus persuadere, quorum Werninkius 4) strenue se iis opposuit, cui rursus respondit Berlagius 5). Grammatice utramque sententiam defendi posse, ab utraque parte conceditur. Pauli autem menti novam interpretationem omnino convenire, ostendit Berlagius, 6) tum locis citandis, ubi sermo est de fide, Deo habita, in communione Christi (*ἡ πίστις ἐν Χριστῷ*, si quidem, quod ostendere conatus est V. D., haec formula explicanda est fides in Deo posita

---

1) *Ep. ad Romanos* I pag. 313 sqq, 340.

2) *Leer der H. Kerk* II pag. 70 sqq.

3) *De formulae Paulinae* πίστις I. X. *significatione.*

4) *Exegetische Studiën over* πίστις *en* πιστεύειν *in het N. T.*

5) *Godgel. Bijdragen*, 1859 *VI.*

6) Cfr. in disq. laud. pag. 65—75. et *Godgel. Bijdragen* pag. 489—502.

in communione Christi, non vero fides in Christo posita), quae notio sane non differt a fide Deo habita, auctore Christo, tum iis, ubi fides ita proponitur ut Christo auctori tribuenda sit, v. c. Rom. V : 1, ubi ἡ εἰρήνη πρὸς τὸν Θεόν est fructus τῆς δικαιοσύνης ἐκ πίστεως et Christo auctori tribuitur, unde igitur sequitur ipsam quoque iustificationem e fide per Christum oriri, qui fidei auctor est; pariter 2 Cor. V : 21 aliisque locis. Quamquam nostrum minime est diligenter in argumenta inquirere ab utraque parte allata, neque ea ponderare, nos tamen iis assentiri fatemur, qui formulam πίστιν *I. X.* explicant fidem in Deo positam, cuius I. C. auctor sit, in primis quum locos inspicimus ubi nostra formula occurrit, quos adeamus necesse est ut fidei naturam recte intelligamus.

Postquam Apostolus probavit, neque Gentes neque Iudaeos δικαιοσύνην Θεοῦ consequi posse, inde a Rom. III : 21 viam indicat, qua homo veram illam Deoque unice acceptam et lege atque prophetis significatam iustitiam consequatur. Δικαιοσύνη Θεοῦ πεφανέρωται διὰ πίστεως *I. X.* (vs. 22), nullo discrimine facto inter Gentes et Iudaeos, omnes spectat, quippe peccatores, dummodo fidem habeant. Porro fidei natura cognoscitur Abrahami exemplo: erat eius fides in Deo posita, cui totum se tradebat, quae fides coram Deo iustitiae instar erat, quam Deus ei tamquam gratiam imputabat, minime mercedem ei debitam. Est autem patriarcha pater πάντων τῶν

πιστευόντων (IV : 11); promissum, ei eiusque proli factum, impleri tantum potest fide, dummodo omnes sint *ἐκ πίστεως Ἀβραάμ* (vs. 16).

Sic igitur fides Christianorum, naturâ suâ, non differt secundum Paulum ab Abrahami fide.

Itaque nostro loco formulam *διὰ πίστεως I. X.* explicamus fidem in Deo positam, quamquam obiectum non diserte indicatur, et quidem auctore I. C., ut Paulus docuit Rom. V : 1, quem locum antea interpretati sumus.

Sic e contextu cognovimus naturam huius fidei, quae conditio est *τῆς δικαιοσύνης*, esse illud vinculum inter Deum et hominem, quo se ei tamquam Patri tradit. Idem docemur v. 26, ubi Deus dicitur iustum declarare *τὸν ἐκ πίστεως Ἰησοῦ*, quia *πίστις* sola est conditio, qua Deus, salva sua ipsius iustitia, hominem probare potest. Sequitur Gal. II:16, locus celeberrimus, ad quem VV. DD. ab utraque parte provocant ad suam sententiam defendendam. Penitus Apostolo persuasum est, hominem non iustum declarari ex operibus legis, sed tantum *διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ*, et *ἡμεῖς*, ita pergit, *εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν ἐπιστεύσαμεν, ἵνα δικαιωθῶμεν ἐκ πίστεως Χριστοῦ καὶ οὐκ ἐξ ἔργων νόμου.* Mirum sane foret, si formula *πίστις I. X.* explicanda esset fides in I. C. posita, Paulum hoc loco, ut omnem ambiguitatem tolleret, non potius scripsisse: *διὰ πίστεως εἰς Χριστόν*, quae formula ei non erat ignota (cfr. Col. II : 5): nusquam enim tantum euphoniae

tribuit, ut ambiguitas oriatur. Praeterea, ubi fides est conditio τῆς δικαιοσύνης, constans apud eum est usus formulae: *πίστις I. X.*; et quum hic nomen *Ἰησοῦ* alterum *Χριστῷ* praecedit 1), contra in *πίστει* cum praep. *εἰς* et *ἐν* vocabula inverso ordine occurrunt, quod minime mirum est: nam fides, ei habenda, habetur ei tamquam Christo, ut ad communionem cum Iesu tamquam Christo perveniamus. Via, quae ducit ad fidem in Deo positam, est fides I. C. habita, ut in eius communione iusti declaremur, fidem consecuti, quae unice coram Deo iustitiae vim habet, et cuius ille tantum in nobis auctor esse potest.

In hac fide Paulus vivebat, neque ipse amplius sed Christus in eo vivebat: nam, inquit, quod adhuc vivo in carne, *ἐν πίστει ζῶ τῇ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ* (II : 20). Legi erat demortuus, ut totam suam vitam Deo dicaret; non amplius ipse vivebat, sed Christus in eo; ab hoc tempore, quo cum Christo erat crucifixus, vivebat omnino, tota sua vita Deo dicanda, in fide Deo habenda, cuius ipse Dei filius suo amore, in morte in primis conspicuo, auctor ei exstitit. Quaenam huius fidei sit natura, statim apparet: non est mentis quaedam persuasio, qua homo Deo vivit et ei probatur, sed animus religiosus, quo eius voluntas una est facta cum Dei voluntate.

---

1) Gal. 2 : 16 et Phil. 3 : 9 occurrit πίστις Χριστοῦ, omisso nomine Ἰησοῦ, quod caeteroquin illud praecedit.

Legimus Gal. III : 22: *συνέκλεισεν ἡ γραφὴ τὰ πάντα ὑπὸ ἁμαρτίαν, ἵνα ἡ ἐπαγγελία ἐκ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ δοθῇ τοῖς πιστεύουσι.* Proponitur lex paedagogus ad Christum (vs. 24); hoc paedagogo homines non amplius indigebant, quum venerat illa religio, cuius indoles est fides: nam facti sunt Dei filii per fidem, in Christi communione (vs. 26). Iam vero haec fides, naturâ suâ, eadem est atque ea, quam Abrahamus in Deo habebat, cuius filii sunt *οἱ ἐκ πίστεως* (vs. 7). Promissum igitur, Patriarchae factum, in iis tantum impleri potest, qui, ut ille, in Deo fidem ponunt, cuius fidei Christus in iis auctor est, in cuius communione *πάντες εἷς εἰσι* (vs. 28) 1).

---

1) Phil. 3 : 9 Paulus dicit, se habere veram *δικαιοσύνην, τὴν ἐκ Θεοῦ*, iustitiae oppositam, quae est *ἐκ νόμου*, in communione Christi, et quidem, *διὰ πίστεως Χριστοῦ*, et Eph. 3 : 12 *τὴν παῤῥησίαν καὶ τὴν προσαγωγὴν διὰ τῆς πίστεως αὐτοῦ.* Cfr. Act. 3 : 16, ubi est *ἡ πίστις ἡ δι᾽ αὐτοῦ* et Apoc. 14 : 12, ubi *ἡ πίστις Ἰησοῦ* et *αἱ ἐντολαὶ τοῦ Θεοῦ* coniunguntur. Quemadmodum quaestionem, utrum genitivus in formula *πίστις Ι. Χ.* sit obiectivus, nobis tantum attingere licuit, sic varias sententias eorum, qui eum obiectivum esse negant, non nisi verbo commemoramus. Horum alii formulam nostram explicant fidem, quam I. C. habuit et cuius nobis exemplum praebuit, alii fidelitatem, quam I. C. praestitit, alii genitivum auctoris interpretantur, sed cogitant de fidei doctrina, cuius I. C. auctor est (e. c. Bosveldius). Cri-

His monitis, ad fidei naturam rite cognoscendam haud requiritur ut caeteros de fide, *τῆς δικαιοσύνης* conditione, locos diligenter exploremus: paucis tantum eos tractare lubet.

Initio epistolae ad Romanos Paulus cum lectoribus desiderium communicat iis Euangelium nunciandi: ipsum enim huius Euangelii non pudebat, quia est *δύναμις Θεοῦ εἰς σωτηρίαν*, est efficax ad salutem unicuique impertiendam, qui fidem habet, nullo discrimine facto inter Iudaeos et Gentes. Hoc probat s. 17: etenim, inquit, in hoc Euangelio *ἀποκαλύπτεται δικαιοσύνη Θεοῦ ἐκ πίστεως εἰς πίστιν*, haec vera iustitia, quae Deo placet, patefit unicuique, qui fidem habet, et eo tendit, ut homo in fide vivat; est igitur fides conditio, qua homo hanc *δικαιοσύνην Θεοῦ*, caeteroquin ei obtectam, videre possit. Quod valet de omnibus *πιστεύουσι* (III : 22): est idem Deus qui iustum declarat tam *περιτομήν* quam *ἀκροβυστίαν*, et quidem *διὰ τῆς πίστεως* (vs. 28, 30). Sine hac fide neque Abrahamus a Deo esset probatus, neque eius filii (Caput IV). Eius ope Gentes, quamquam probitatem non persequebantur, eam assecutae sunt, contra Iudaei, eam appetentes, illuc non pervenerunt, quia

---

ticae disquisitioni has sententias subiecit Doct. Berlage l. l. pag. 35—59.

Cfr. etiam Clar. Muurling: *over het geloof van onzen Heer J. C.*, in diario *Waarheid in Liefde* 1852 IV pag. 647—695.

fide erant destituti, necessaria ad iustitiam assequendam conditione (IX : 30, 31). Est lex a Christo sublata, quo auctore fides exorta est tamquam principium ad iustitiam adipiscendam (X : 4), quam ut consequerentur, lex homines praeparabat (Gal. III : 24).

Iam varias fidei notiones recensuimus. Vidimus eius fontem esse denunciationem Euangelii, quod homo verum esse credit, sensim autem paulatimque mentis persuasio existit in eo tam firma, ut omnem omnino dubitandi locum tollat.

Sed quamdiu fides solum in ingenio sedem suam collocavit, hominis salutem efficere nequit. Hanc ut ille consequatur, requiritur fiducia in Deo posita, sensus religiosus, quo homo unice Deo obedit, ei totum se tradit, tamquam filius Patri; et quum nostra voluntas cum Patris voluntate una est facta, fides ad summum evecta est fastigium 1).

---

1) Pulchre Oltramarius l. l. pag. 397: „la foi se présente sous le double caractère de confiance et de conviction. Confiance et conviction sont deux éléments indissolubles. La confiance naît de la conviction ou la conviction de la confiance, suivant que l'objet lui-même ou le caractère de l'objet a été saisi le premier. Ces deux éléments existent simultanement, c'est à chaque individu de dire dans quel ordre ils se sont succédés en lui. Ainsi conçue la foi est une vie nouvelle et réelle du coeur et de l'esprit, une communion et un commerce continuels de sentiments, de pensées et de volontés entre le sujet et l'objet; une vie

Huius fidei salutiferae Deus est obiectum, quod iis locis, quibus illa absolute posita occurrit, concludere licet ex iis, quibus diserte indicatur. Eius auctor in nobis est I. C., tollendis impedimentis fidei, in Deo collocandae. Ipse autem Christus obiectum est illius fidei, quae nobis via est ad fidem, in Deo habendam.

Facilis nunc est responsio ad quaestionem, quam initio nostrae disquisitionis de fide posuimus, quomodo Deus salva sua iustitia hominem iustum declarare possit. Ea fides coram Deo iustitiae locum tenet, quae non tantum mente quaedam dogmata amplectitur, sed animo etiam se Deo tradit. Talis enim animi conditio hominis, etiamsi adhuc imperfecti, principium continet, quo exculto magis magisque in via perfectionis progreditur.

---

passée en regard d'une autre vie. Tout ce qui compose la vie religiense, pensées, sentiments, volontés, actions ne sont que des expressions de la foi dont elles émanent et à laquelle elles retournent. Toutes les facultés de l'esprit, tous les sentiments du coeur, toutes les résolutions de la vie active, vont se fondre et s'unir ensemble dans la foi, pour composer en l'homme la vie religieuse, interne et externe."

§ 3.

De via et ratione qua Deus utitur ad hanc iustitiam in homine efficiendam.

Sed homo suis viribus hanc fidem assequi nequit, quae sola est conditio, qua Deus eum iustum declarat. Idem Deus, cuius gratiae ἡ δικαιοσύνη est tribuenda, quia ad fidem eum ducit, etiam viam ei ostendit, qua veram iustitiam consequatur. Haec via est Christus, quo in mundum mittendo et in primis morti tradendo Deus summum sui amoris dedit documentum (Rom. V : 8, VIII : 39).

Ὅτε δὲ ἦλθε τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου, suum filium misit, qui natus est e muliere et quidem sub lege (Gal. IV : 4), ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας (Rom. VIII : 3), in similitudine carnis peccati, omnium hominum instar, carne humana praeditus, in qua peccatum sedem suam collocare solet, quo ille immunis mansit; ἐκ σπέρματος Δαυὶδ κατὰ σάρκα, ὁρισθεὶς υἱὸς Θεοῦ ἐν δυνάμει κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν (Rom. I : 3, 4). Quantopere de sensu huius loci discrepent interpretes, nemo ignorat.

Plures κατὰ πνεῦμα explicuerunt: Christi naturam divinam, quae cum Deo ei erat communis et a caeteris hominibus eum distinguebat, ita ut κατὰ σάρκα significaret eius naturam humanam, cuius particeps erat factus.

Sed animadvertendum, verba κατὰ σάρκα opposita verbis κατὰ πνεῦμα numquam significare naturam humanam

divinae oppositam: *σάρξ* in homine est eius materia animalis, quam cum caeteris animalibus communem habet, a quibus se distinguit *πνεύματι*. De mente igitur Pauli Christus a caeteris hominibus non differt quod *πνεύματι* est instructus, quo omnes utuntur, sed *κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης*, quia prae aliis sanctitatis studio ducebatur, totaque vita sanctissimam Dei imaginem retulit. Quapropter nomen Dei filii, quod in V. T. nonnullis piis et praeclaris viris dabatur, in eum per excellentiam quadrat, *τὸν ἴδιον Θεοῦ υἱόν* (Rom. VIII : 32), *ὁρισθέντα υἱὸν Θεοῦ ἐν δυνάμει*, qui efficaciter Dei filius est constitutus, ita ut hominibus nullum amplius dubium supersit, et quidem *ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν*. Utrum vertamus *post* an vero *per* resurrectionem mortuorum, non magnum est discrimen. Est haec doctrina Apostolica, Christum e mortuis esse revocatum tamquam *ἀπαρχὴν τῶν κεκοιμημένων* (1 Cor. XV : 20), a quo ipso et a quo tempore caeterorum in vitam reditus inchoaret. Minime igitur censemus, Paulum nostro loco de metaphysica Christi origine cogitasse, ubi dicitur Filius Dei esse constitutus *κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης* 1).

Iam quaeritur quomodo Deus per Christum homines

---

1) Plura de huius loci interpretatione petentibus satisfaciunt Oltramarius et Hengelius ad h. l.

Cfr. etiam Doct. Griethuizen in disp. *de notionibus voc.* ΣΩΜΑ et ΣΑΡΞ *in N. T. interpretatione distinguendis.*

ducat ad fidem in ipso ponendam. Primum tollenda sunt impedimenta, quae nos ab hac fide avertunt et omnino prohibent ne bene confidentes Deum tamquam Patrem nostrum adeamus. Propterea homo liberandus erat a iugo legis, quo adhuc premebatur et a peccatis sub lege patratis.

Quamdiu homo erat sub lege, non potuit Deo habere fidem, quae conditio est qua ex mente Pauli coram Deo iustus habeatur. Etenim *ὁ νόμος οὐκ ἔστιν ἐκ πίστεως* (Gal. III : 12), lex cum fide nihil habet commune, prorsus ab ea aliena, ei tamquam opposita est.

Iudaeus, sub lege vivens, erat tamquam mercenarius, qui mercedem accipit ei debitam. Omnia legis praecepta ei erant observanda, ne uno quidem excepto; caeteroquin erat *ἐπικατάρατος*. His autem omnibus perficiendis impar erat unusquisque, lex vero nullum ei auxilium praebuit, contra, quamvis ipsa sancta, malas cupidines in eo excitavit et ita caussa ei exstitit peccati et mortis. In hac conditione homo Deum tamquam Dominum suum sibi proposuit, quem, ut *δοῦλος*, timebat. Contra, qui fidem in Deo ponit, nihil ab eo exigit sibi debitum, sed omnia eius gratiae tribuit; salutem non quaerit in praeceptis nonnullis observandis, sed in tota mente et animo Deo tradendis; non prae timore a Deo abalienatur, sed libere eum adit tamquam filius Patrem. Quamdiu Iudaei a Gentibus lege erant separati, fieri non potuit ut promissum, Abrahamo factum, quod omnes omnino complectebatur

Gentes, impleretur, sed tollendum prius erat *μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ* (cfr. Eph. II : 14).

Itaque homo, qui sub lege frustra *δικαιοσύνην* quaesivit, ut fide compos ipsius fieret, primum a legis iugo erat liberandus. Non semper paedagogo egebat, haud magis quam impubes, qui, antea tutoribus usus, quam primum ad maturitatem pervenit, iis non amplius indiget, sed heriditatem ipse adit.

Deus, qui fidei auctor est in homine, impedimentum, quod eum ab hac fide avertebat, sustulit, Filio suo mittendo, nato sub lege (Gal. IV : 4), *γενομένῳ ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα* (Gal. III : 13), *ἵνα τοὺς ὑπὸ νόμον ἐξαγοράσῃ*, *ἵνα τὴν υἱοθεσίαν ἀπολάβωμεν* (Gal. IV : 5), *ἵνα εἰς τὰ ἔθνη ἡ εὐλογία τοῦ Ἀβραὰμ γένηται ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ*, *ἵνα τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πνεύματος λάβωμεν διὰ τῆς πίστεως* (Gal. III : 14). De singulis hisce nonnulla monebimus.

Dicitur Christus *γενόμενος ὑπὸ νόμον*; ut homines a legis iugo liberaret, ipse utpote Iudaeus sub lege nasci debebat. Erant omnes Iudaei *ὑπὸ κατάραν*; nemo enim omnibus legis praeceptis obsequebatur et, ex ipsa lege, qui non his omnibus obediebat, erat *ἐπικατάρατος*. Christus nos *ἐξηγόρασεν ἐκ τῆς κατάρας τοῦ νόμου*, a legis exsecratione, qua unusquisque premebatur, ab eius condemnatione (nam erat lex *διακονία τῆς κατακρίσεως* 2 Cor. III : 9) Christus nos liberavit, et quidem eo quod ipse factus est *ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα*. Plurimi interpretes, inde a Reformatione in

primis, his verbis Christi mortem *satisfactoriam* intellexerunt 1), de qua tamen sermonem non esse apparet ex huius mortis consilio, quod indicatur c. III : 14 et IV : 5. Christus perfecta sua obedientia, quam per totam suam vitam, sed in primis in morte Deo praestitit, hominibus novum quasi spiritum indidit, qui a legali obedientia prorsus erat alienus. Attamen e legis principio erat exsecratus (apparet Paulum hic, ut saepius, abstractum pro concreto posuisse), ad quod probandum Apostolus laudat locum e Deuteronomio Cap. XXI : 23, ubi de suspenso sermo est, qui Deo est excecratio, quae verba libere e LXX sunt petita 2).

---

1) Animadvertit Bährius (*Stud. und Krit.* 1849, pag. 924 sqq.) fere omnes patres priorum sex saeculorum eandem interpretationem tuitos esse, prorsus oppositam ei, quam Reformatores et post eos plures interpretes, etiam recentiores, tuiti sunt.

2) Habet textus Hebr. קִלְלַת אֱלֹהִים תָּלוּי LXX: *κεκατηραμένος ὑπὸ θεοῦ πᾶς κρεμάμενος ἐπὶ ξυλοῦ.* Cur Paulus verba *ὑπὸ θεοῦ*, quae et in textu Hebraïco et in Graeco inveniuntur, omiserit, dissentiunt interpretes. Plures censent, haec verba a Paulo fortuito esse omissa et re vera Apostolum Christum, in cruce pendentem, proposuisse a Deo maledictum, quippe qui *κάταραν* divinam, quam homines meruerunt, in se susceperit Nos cum Bährio l. l. aliisque credimus, Paulum consilio verba *ὑπὸ θεοῦ* reiecisse, quia Christus, in cruce pendens, minime si erat *ἐπικατάρατος ὑπὸ θεοῦ*, quamquam hominibus sub lege ita videbatur. Animadvertit idem V. D., priorem interpretationem iam reiectam esse a Iustino Mart. in *Dial. c. Tryph.*, ubi scribit: *οὐ καὶ κατὰ τοῦ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ κάταρα κεῖται.*"

Huius Christi mortis hoc indicatur consilium: ut Iudaeos a legis iugo liberaret (IV : 5), ut felicitatis promissio Abrahamo facta, ἡ δικαιοσύνη ἐκ πίστεως omnibus gentibus contingeret in Christo Iesu (III: 14), ut omnes homines spiritum promissum fide acciperent, quemadmodum Abrahamus eum acceperat, et τῆς υἱοθεσίας compotes fierent.

Sic nullum amplius discrimen existit inter Iudaeos et Gentes, inter liberos et servos (III : 28); omnes, Christi spiritu imbuti, eum velut induerunt (vs. 27), ita ut in eo tamquam unus sint facti (vs. 28).

Ab hac lege liberati, dominari peccatum amplius in homines nequit (Rom. VI : 14): sunt enim ὑπὸ χάριν, quae eos ducit in viam, quam inire debent. Dicuntur praeterea οἱ πιστεύοντες legi esse demortui (Rom. VII : 4, ἐθανατώθητε τῷ νόμῳ) communione cum Christo, in cruce mortuo (διὰ τοῦ σώματος Χριστοῦ), legis imperio non amplius adstricti, quia demortui sunt ei, qua antea tenebantur (vs. 6 κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου, ἀποθανόντες ἐν ᾧ κατειχόμεθα) et quidem eo consilio, ut coniungerentur cum eo, qui e mortuis est resuscitatus, et Deo servirent ἐν καινότητι πνεύματος, libere tamquam filii eum adeuntes, non amplius ἐν παλαιότητι γράμματος, quemadmodum antea, quum ritibus et caeremoniis observandis operam darent.

At vero ut homo fidem in Deo ponere possit, non sufficit eum liberari a legis iugo. Supersunt pec-

cata sub lege patrata; quemadmodum Gentes legis moralis voci non obtemperaverant, sic Iudaei legis suae praecepta non observaverant, eorum peccata in dies creverant, ita ut poenam divinam timerent. Omnes peccaverant, nemo erat iustus coram Deo. In tali conditione fidem Deo habere non poterant, quem iratum ob sua peccata sibi proponebant. Ut libere eum adirent, opus erat ut misericordiae divinae conscientia in iis excitaretur ipsique certo certiores fierent Deum non tamquam iudicem severum ipsorum peccata punire, sed tamquam patrem benevolum ea praeterire et condonare. Quod Deus salva sua ipsius iustitia peregit *διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ὃν προέθετο ὁ Θεὸς ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων, ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ* (Rom. III : 25, 26).

Deus peccata, ab hominibus antea, i. e. ante Christi in mundum adventum, patrata, praeterierat 1), suamque

---

1) Minus recte nonnulli *πάρεσιν* et *ἄφεσιν* confundunt. Recte Oltramarius ad h. l.: „dans la *πάρεσις τῶν ἁμαρτημάτων* le pécheur considère la faute comme ayant échappé au sujet. Cette *πάρεσις* en effet a lieu tantôt contre la volonté du sujet, c'est une suite de son inattention; tantôt par la volonté du sujet, soit indifférence de sa part, il ferme les yeux, soit faiblesse, il n'a pas la force de punir, soit patience, il attend pour voir ce qu'il en adviendra. On comprend qu'alors, suivant que le pécheur attribue au sujet

ob indulgentiam, debita poena eos non multaverat. Ita videri poterat ea non curasse.

Sed iam tempus aderat (ἐν τῷ νῦν καιρῷ) ut Deus praeter amorem etiam iustitiam suam generi humano probaret. Ad hoc consilium Christum προέθετο ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, eum proposuit, omnibus adspiciendum praebuit. Notionem autem *antea constituendi*, ita ut de decreto divino sermo esset, quam notionem aliis locis vocabulum προτίθεσθαι habet, hic ei non tribuimus, quippe cui contextus obstare videatur. Sed difficilior est quaestio de significatione vocabuli ἱλαστήριον, quod olim omnes fere interpretes explicuerunt *operculum arcae foederis*. Et quamquam Hengelius Rückerto assentitur, hanc interpretationem adeo iam refutatam esse dicenti, ut eius silentio praetermittendae tempus fere instare videatur, nondum tamen desunt eius fautores 1), qui quum animadvertant versionem Alexan-

---

tel ou tel motif, cela émousse ou ramène en lui la conscience de son péché. Dans l'ἄφεσις τῶν ἁμαρτημάτων le pécheur sait que la faute n'a point échappé au sujet, au contraire, il a le droit, la volonté et le pouvoir de punir, mais il est assez bon ponr pardonner. On comprend qu'alors le sentiment de cette bonté, de cet amour qui pardonne, avive dans le péchenr, par la reconnaissance, le sentiment de sa culpabitilé. et crée une dette dans son coeur." Est πάρεσις in N. T. ἅπαξ λεγόμενον.

1) Sic v. c. scripsit Doct. Hofstede de Groot in disp.

drinam, Philonem et scriptorem Ep. ad Hebraeos (IX : 5), Hebr. כַּפֹּרֶת reddidisse *ἱλαστήριον*, nullam caussam vident, cur ab hoc loquendi usu recedatur, quum in N. T. nusquam alibi occurrat. Sed quaestio est, cur LXX et Philo vocem Hebraeam verterint *ἱλαστήριον*. כַּפֹּרֶת a כָּפַר *texit, operuit* proprie nihil aliud significare potest nisi *operculum* et hanc *tegendi* notionem etiam LXX nostro vocabulo tribuisse, constat ex Exod. XXV : 16, ubi verterunt: *ἱλαστήριον ἐπίθεμα*. Non igitur *ἱλαστήριον* per se significabat apud eos *operculum* — tum enim non addidissent vocabulum *ἐπίθεμα* — sed propriam expiandi notionem ii etiam huic voci tribuerunt. Facilis igitur inde est conclusio, eos propterea כַּפֹּרֶת vertisse: *ἱλαστήριον*, quia operculum arcae foederis instrumentum expiationis habebant 1). Itaque *ἱλαστήριον* operculum arcae significare *potest*, non vero *debet*. At, quaeso, quomodo Deus Christum proposuisse dici potest operculum arcae foederis, quaenam ei est cum hac necessitudo? Ut notum est, הַכַּפֹּרֶת, ex auro confecta, superimposita erat arcae foederis, qua lex Dei contine-

---

de Pauli conversione, praecipuo theologiae Paulinae fonte: „non video cur in vertenda voce ἱλαστήριον recedendum sit a communi loquendi usu, qualis nobis in LXX, Philone et auctore ad Hebr. 9 : 5 notus est."

1) Cfr. in primis de hoc loco Doct. Bok in disp. academica *de Pauli doctrina de* τῇ ἀπολύτρωσει, pag. 133 sqq.

batur. Inter duos Cherubim, ab utraque parte positos, locus erat, unde Iehova dicebatur iussa sua dare tamquam a throno suo. Semel quotannis Pontifex Maximus magno expiationis die sanguine victimae operculum spargebat, ut populi Israëlitici peccata expiaret; praeter ipsum nemini illud conspicere licebat (cfr. Exod. XXV : 17—22, Lev. XVI).

Sanguine animalis fiebat expiatio, tamquam vitae sede et symbolo vitae populi Deo dicatae, nequaquam operculo, quo Deus habitare censebatur, quod nihil aliud erat nisi sedes Iehovae, minime vero sedes propitiationis. Sed quomodo Christus hoc sensu ἱλαστήριον dici potuit, quem Deus omnium oculis adspectandum proposuit, quum operculum unicuique, uno Pontifice Maximo excepto, esset obtectum? Et praeterea nulla comparatio institui potest: merae enim sunt nugae, quos nonnulli invenerunt ad eam probandam 1).

---

1) Ita v. c. Deylingius, quem citat Oltramarius: „quemadmodum, ait, ἱλαστήριον, arcae ἐπίθεμα, tabulas legis, minas item et maledictiones violatoribus eius intentas, ita tegebat, ne in ullius umquam veniret conspectum; ita Christus merito suo maledictionem, quam tabulae legis arcae inclusae minitabantur, ita texit ac sustulit, factus pro nobis ἐπικαταράτοις κατάρα Gal. 3 : 15, ut Deus ea resipiscentibus ac credentibus in Christum imputare et in futuro iudicio in conspectum producere nolit."

Sic etiam Carpzovius de operculo: „ratione officii, tegit et expiat peccata nostra, ratione inhabitationis, omnem plenitudinem Deitatis in se habet, ratione coronae, regia

Itaque quaeritur quomodo vocabulum *ἱλαστήριον* sit explicandum; N. T. nullum nobis auxilium praebet, quia praeter locum in Epistola ad Hebraeos citatum nusquam occurrit.

Est illud proprie adiectivum, hic substantive positum, neutrius generis, ut nobis videtur, potius quam masculinum, ut Hengelius putat, accusativum ad pronomen *ὃν* referens; derivatur a verbo *ἱλάσκεσθαι*, quod significat *propitium esse*, non, ut apud scriptores classicos, *propitium reddere*. Itaque vocabulum nostrum vertimus: *medium expiationis*, quo Deus peccata hominum tegit, expiat, condonat et ita mentem suam hominibus probat, quamquam nonnullorum interpretatio *victima piacularis* etiam fortasse ferri potest. Et Deus dicitur Christum proposuisse *ἱλαστήριον ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι*: ultima enim vocabula non coniungenda esse cum *διὰ τῆς πίστεως* censemus: nam neque *πίστις ἐν* idem significat atque *πίστις εἰς*, neque *πίστις ἐν αἵματι* Christi usquam occurrit, et praeterea tum Paulus tantum indicasset quomodo homines *subiective* per fidem huius peccatorum veniae compotes fierent, non vero quomodo illud *ἱλαστήριον obiective* Christi morte nitatur.

---

splendet maiestate, ratione ritus, adspersione sanguinis hilastici delet peccata populi, ratione tutelae adumbrat suos, ut sub eius alis habitent et delitescant."

Quae omnia in Christo etiam adesse censet.

Quemadmodum sub V. T. hominum peccata sacrificiis piacularibus tegebantur, quia sanguis animalis symbolum erat vitae Deo dicatae, sic nunc (ἐν τῷ νῦν καιρῷ) Deus, Christo medio expiationis proponendo, salva sua ipsius iustitia peccata revera condonare poterat. Christus enim totam suam vitam Deo dicaverat, eius voluntas coaluerat cum Dei voluntate et huius vitae, perfecta obedientia conspicuae, tamquam corona erat mors cruentissima, quam subire non dubitavit, quia persuasum ipsi erat sic ferre Dei voluntatem. Qui igitur cum eo arctissime iunguntur, non tantum symbolice Deo se tradunt, sed revera vitam suam Deo dicare debent; fieri non potest quin Christi spiritu imbuantur illi, qui tamquam membra cum capite cum eo coniuncti sunt; demortui peccatis, quemadmodum ille, Deo quoque vivunt. Ac licet a perfectione adhuc longe absint, Deus pristina eorum peccata non imputat, (μὴ λογιζόμενος αὐτοῖς τὰ παραπτώματα αὐτῶν 2 Cor. V : 19) non tantum ea tegit, ut antea, sed ea etiam condonare potest, quia ipsi auctore Christo non possunt non progredi in virtute et tendere ad perfectionem.

Sic Deus per Christum τὴν ἀπολύτρωσιν hominibus obtulit. Est haec ἀπολύτρωσις, ut e contextu 1) apparet, liberatio a peccatis, quibus omnes premebantur

---

1) Cfr. Eph. 1 : 7, Col. 1 : 14.

(vs. 23), quae caussa erant cur homines a Deo iusti haberi non possent; nunc vero, hisce peccatis condonatis, Dei gratiâ haec *δικαιοσύνη* iis contingit. Minime haec *ἀπολύτρωσις* significat *redemtionem*, quae pretio solvendo fit; nam etsi haec propria eius est significatio, apud Paulum neque hic, neque alibi huic notioni locus est 1).

Christus quoque dicitur auctore Deo nobis factus esse *ἀπολύτρωσις* (1 Cor. I : 30), nam traditus est *διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν* (Rom. IV : 25), mortuus est *ὑπὲρ ἀσεβῶν* (V : 6), *ὑπὲρ ἡμῶν* (vs. 8), *ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν* (1 Cor. XV : 3); Gal. II : 20 Paulus Christi amorem erga se laudat, *παραδόντος ἑαυτὸν ὑπὲρ ἐμοῦ.*

Itaque constat Christum impedimenta sustulisse, quae prohibebant ne homo fidem Deo haberet. Liberatus est a legis iugo, quo adhuc premebatur ille et fiebat etiam ut servili animo Deum adiret, tamquam servus dominum; liberatus est ab onere peccatorum, quae antea commiserat, quaeque ei iniiciebant timorem severi, qualem Deum sibi proponebat, iudicis, quo quidem animo fidem in Deo ponere non poterat.

---

1) Cfr. Doct. Bok l. l., qui ostendit in versione Alex. saepius τὴν ἀπολύτρωσιν tantum significare liberationem politicam et religiosam et in scriptis N. T. propriam *redemtionis* notionem non occurrere.

His igitur impedimentis sublatis, quomodo e Pauli doctrina Christus homini fidei auctor exstitit?

Ut ad fidem in Deo habendam perveniamus, requiritur *ἡ πίστις εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν;* est haec via, quae ad illam ducit (Gal. II : 16). Itaque quaeritur, quaenam notio sit tribuenda fidei *εἰς Χρ. Ι.*

Sicut indicat praepositio *εἰς* (semel occurrit *ἡ πίστις πρὸν τὸν Κύριον Ἰησοῦν* Philem. 5), haec formula dicitur de eo, cuius mens et animus et tota omnino vita ad normam Christi dirigitur, qui ei se tradit eumque accipit (quemadmodum ipse Paulus illam explicat: *παραλάβειν τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν τὸν κύριον* Col. II : 6) tamquam Christum Dominumque suum et Servatorem.

Summa inter utrumque existit necessitudo; est homo *Χριστοῦ* (Rom. VIII : 9, 1 Cor. XV : 23, 2 Cor. X : 7, Gal. II : 29), totus ad eum pertinet, eum *ἐνεδύσατο* (Gal. III : 27, cfr. Rom. XIII : 14), non amplius sibi ipsi vivit, sed Christus vivit in eo (Gal. II : 20), ut paucis complectar, Christi spiritu est imbutus (Rom. VIII : 9). Quam vim huiusmodi necessitudo habeat, neminem fugit: quodcumque enim parentes in liberorum, in amicorum amici, praeceptores in discipulorum institutione efficere possunt, nullo modo id comparari potest cum Christi spiritus in eius sectatoribus efficacitate. Quod ut recte perspiciamus, explorandum est quid e mente Pauli, tum in Christi vita, tum vero in eius morte et in vitam reditu illud sit,

quod necessario vim habet in Christianis salutarem, ita ut ad fidem Deo habendam apti reddantur.

I. C. in hac terra Dei imaginem pure et sancte retulit. Tota eius vita Deo erat dicata, cui semper obediebat (Rom. V : 19) usque ad crucis mortem (cfr. Phil. II : 8). Quamquam *ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας* (Rom. VIII : 3), ut caeteri homines, eius *σάρξ πνεύματι* non imperabat, sed contra ei erat subiecta, Dei spiritu semper ducebatur. Eius mentem animumque Paulus unicuique exemplo proposuit (1 Cor. II : 16, Phil. II : 5).

Peccatum, ut omnem naturam humanam, sic ipsum quoque allicere conabatur; acerbissimum certamen contra peccatum ei ineundum erat, sed semper victor ex eo prodiit. Non erat *ἁμαρτίας διάκονος* (Gal. II : 17), ipse peccatum non cognovit (2 Cor. V : 21), ei demortuus est ita ut omne suum imperium in eum amiserit (*ἁμαρτίᾳ ἀπέθανεν* Rom. VI : 10) 1). Sic Deus per eum peccatum in carne humana, in qua sedem suam collocare solet, damnabat et ita unicuique exemplo

1) Nullam caussam videmus cur formulam *ἁμαρτίᾳ ἀπέθανεν* hic aliter explicemus atque s. 2, ut multi interpretes, qui s. 10 interpretantur: mortuus est ut peccata expiaret, vel ut poenam peccati lueret, contra s. 2: peccato demortuus est. Ut Christus semel peccato demortuus est, sic omnes eius sectatores in eius communione ei demoriantur necesse est.

Christi probabat carnem humanam peccati immunem esse posse et debere. (Rom. VIII : 3). Unus ille erat iustus, et sic ἐγενήθη ἡμῖν ἀπὸ Θεοῦ δικαιοσύνη, sanctus erat, ut nos ad suam sanctitatem duceret; factus nobis est ἁγιασμός (1 Cor. I : 30). Unicum erat fundamentum, quo aedificium veritatis superstrui debet (1 Cor. III : 11).

Maximum Christi momentum non erat positum secundum Paulum in externa eius vita, in eius factis et dictis, quamquam ipse quoque ante conversionem suam Christum κατὰ σάρκα tantum cognoverat et eum secundum externa eius facta iudicaverat; sed nunc, quod summum erat, Christum κατὰ πνεῦμα cognovit, interna eius vita, eius spiritus maximi ei erant momenti (2 Cor. V : 16).

Sed quanti Apostolus fecit totam Christi vitam sanctissimam, pluris etiam fecit eius mortem, quae huius vitae corona erat. Propterea summa eius gloria est in cruce I. C. (Gal. VI : 14), commendat Christum crucifixum (1 Cor. I : 23, quo dicto luculenter apparet eum Christi morti vim tribuere maximum, etiamsi tota eius vita non excludatur), fatetur scientiam suam omnem hac Christi cruce contineri, quippe caeteris omnibus maioris habenda (1 Cor. II : 2).

Apparet, homines morte Christi liberari a iugo legis et peccatorum, quae antea patraverant. In hac morte in primis Dei amor conspicuus est; συνέστησε

δὲ τὴν ἑαυτοῦ ἀγάπην εἰς ἡμᾶς ὁ Θεός (Rom. V : 8); iam nobis persuasum est ab hoc amore Dei in Christo neque mortem neque vitam, neque aliquid in coelo vel in terra nos posse separare (VIII : 38, 39). Et cum hoc Dei amore Christi amor arcte coniunctus est, qui mortuus est ὑπὲρ ἀσεβῶν, quum vix aliquis invenitur qui mortem obeat ὑπὲρ δικαίου (Rom. VII : 6, 7); etiamsi igitur variis cruciatibus affligimur, nihil ab huius caritate nos posse separare confidimus (VIII : 35. Cfr. Gal. II : 20). Talis amor nos συνέχει (2 Cor. V : 14), ab omni malo nos detrahit, ad bonum nos impellit.

Christus est verus agnus paschalis (1 Cor. V : 7); sicuti Israëlitae agni sanguine, postibus allito, ab excidio liberati sunt, sic nos Christi morte veram salutem accipiemus, dummodo, fide cum eo coniuncti, vitam nostram Deo dicemus. Eum, qui peccatum non cognovit, nec ullius peccati sibi conscius erat, Deus peccatum fecit (2 Cor. V : 21), i. e. eum tamquam scelestissimum peccatorem cruci affigi iussit, ut nos in eo, in communione eius verae iustitiae compotes fieremus, quam ex lege nemo consequi poterat; εἰ γὰρ διὰ νόμου δικαιοσύνη, ἄρα Χριστὸς δωρεὰν ἀπέθανεν, tum eius mors nihil effecisset (Gal. II : 21). Hoc Christi mortis consilium fuit ut a peccandi principio, quo omnes erant imbuti, homines liberaret (ὅπως ἐξέληται ἡμᾶς ἐκ τοῦ ἐνεστῶτος αἰῶνος πονηροῦ Gal. I : 4), ita ut, cum eo peccato demortui, non amplius sibi

ipsis, suis cupiditatibus viverent, sed ei, qui in ipsorum salutem mortuus est (2 Cor. V : 15).

Cum Christi morte eius in vitam revocatio arcte cohaeret: haud semel Paulus Christum mortuum et e mortuis revocatum coniungit (Rom. IV : 25, VI passim, 2 Cor. V : 15, Rom. VIII : 34 alibi). Deus eum in vitam revocavit (Rom. IV : 24, VIII : 11, 1 Cor. XV : 15, 2 Cor. IV : 14, Gal. I : 1), quo facto non tantum suam δόξην (Rom. VI : 4) patefecit, sed etiam Christi opus et vitam probavit, eumque talem esse ostendit, qualem se professus erat, Dei Filium (Rom. I : 4). Sed aliam etiam hic Christi in vitam reditus significationem habet in Pauli doctrina: nempe Christum ἐγερθέντα ἐκ νεκρῶν οὐκέτι ἀποθνήσκειν (Rom. VI : 9). Iam hominibus persuasum est Christum esse immortalem; quum non amplius imperio peccati subiectus sit, (vs. 10) cui semel est mortuus, etiam mors in eum non amplius dominatur (vs. 9); vivit tantum Deo (vs. 10). Huius aeternae Christi vitae persuasio est fundamentum fidei eius sectatorum: nisi enim ipse vivat, neque hi in illa cum ipso coniunctione vitae aeternae participes fieri possunt (1 Cor. XV : 14 sqq.).

Rom. IV : 25 Christus dicitur in vitam revocatus esse διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν, quem locum magnas interpretibus difficultates peperisse novimus. Quum enim alibi ἡ δικαίωσις Christi morti tribuatur, vix intelligebant, cur nostro loco eadem tribuatur eius resurrectioni. Varia ratione nodum solvere conati sunt. Sed

animadvertendum esse putamus, Paulum versu superiore magnum commemorasse fidei momentum, Deo habendae, qui Iesum Dominum nostrum e mortuis in vitam revocaverit; quum igitur nostra sectione dicit Christum ob nostra peccata morti esse traditum, etiam memorat eius resurrectionem, quae in Iesu vita summum habet momentum, neque tamen efficacior erat quam Christi mors ad hominem coram Deo iustum declarandum.

Consequens est, ut haec Christi vita, in qua mors et resurrectio primarium tenent locum, vim habeat egregiam in omnibus, quibus intima cum eo intercedit necessitudo, omninoque sic cum eo iuncti *ἡ πίστις εἰς Χριστόν* ducat ad *τὴν πίστιν Θεοῦ.*

Sic Christo iuncti cum eo peccato demortui sunt, liberi ab eius imperio; quotquot baptismi ritu eius socii sunt facti, necessario etiam participes redduntur eius mortis, scilicet moralis, qua semel peccato est demortuus. (Rom. VI passim). Sic vetus homo, qui peccato serviebat, cum Christo velut cruci affixus est (Rom. VI : 6, Gal. II : 19); nihil amplius ei cum mundo commune est, in quo peccatum imperii sedem ponit, ei crucifixus est, ut vicissim mundus Christi discipulo (Gal. VI : 14). Cum Christo mortuus, etiam cum eo in vitam revocabitur; mortuus tantum est peccato, sed eius vita iam Deo erit dicata (Rom. VI). Liberatus a peccandi principio, novo domino servit, *τῇ δικαιοσύνῃ*, quae ad vitam ducit (Rom. VI : 18). Christo veram

libertatem acceptam refert; iugum legis non amplius ei impositum est, quo externis ritibus adstrictus erat (Gal. V : 1 sqq). Quum antea continua erat pugna inter eius σάρκα et πνεῦμα, et hoc illi plerumque cedebat, Christi assecla τὴν σάρκα cruciavit cum omnibus malis cupiditatibus ei inhaerentibus (Gal. II : 24, Rom. VIII : 9 sqq. Rom. XIII : 14). Novo enim spiritu est imbutus, quo libere Deo servit, γράμματι opposito (Rom. VII : 6, 2 Cor. III : 6). In Christi communione omnes tamquam unum corpus efficiunt, discrimine sublato inter Iudaeos et Gentes, inter liberum et servum (Rom. XII : 5, 1 Cor. XII : 13, Gal. III : 28): nam omnes fratrum instar coniunguntur circa eius crucem, quae summa eorum gloria est, quia per eam novae vitae compotes sunt facti (Gal. VI : 14). Qui Christi spiritu ducuntur, hi demum veri Abrahami sunt filii (Gal. III : 29). Fructus huius vitae Deo dicatae erit sanctitas (Rom. VI : 22), per communionem Christi, qui iis factus est ἁγιασμός (1 Cor. I : 30), huius autem sanctae vitae finis vita aeterna (Rom. VI : 22).

Quid vero? quum Dei amor in primis in Christo in mundum mittendo et morti tradendo conspicuus iis est factus, nonne ad eum amore complectendum ducentur? nonne ei se tradent, omnemque fiduciam in eo ponent, et omnino fidem in eo habebunt?

Longe quidem abest ut omnium Christianorum vita iam ea sit, quam duce Paulo depinximus: quod ipsum

Apostolum perspexisse tum aliunde intelligitur, tum etiam inde apparet quod saepius eos adhortatur ne peccatum amplius sibi imperare sinant, sed ut Deo et iustitiae serviant (Rom. VI : 12, 13, 19). Sed etiamsi hanc Christi discipuli conditionem, quam ex Pauli ore audivimus, animo potius quam oculis cerni dixeris, nonne hoc maiore iure hominibus, quam Christo vitio vertemus? Nam fieri non potest quin tum vita illa sanctissima, tum mors, excellentis et erga homines amoris et obtemperationis voluntati paternae documentum, tum in vitam revocatio, qua homini de sua ipsius vita immortali persuadetur, saluberrimae sint ei, qui cum Christo communionem instituit; et licet nondum ad perfectionem pervenerit, ut in hac via assidue procedat necesse est; fides in I. C. eum ducere debet ad fidem in Deo habendam.

Sic δικαιοσύνη Θεοῦ, quam neque Gentes neque Iudaeos consequi posse vidimus, sub N. T. hominibus offertur. Tribuenda est Dei gratiae, qui per Christum viam iis aperuit ut eius compotes fierent, dummodo fidem haberent, quae sola est conditio τῆς δικαιοσύνης. Ipse Deus salva sua ipsius iustitia hominem iustum declarare potest, qui, fide cum Christo coniunctus, in dies magis magisque in via perfectionis progredi debet.

CAPUT II.

De caussa cur genus humanum per Christum δικαιοσύνην Θεοῦ consequatur.

Est haec repetenda a vinculo inter genus humanum et alterum Adamum, cuius primus τύπος est (Rom. V : 14): ut ab hoc mors, sic ab illo vita, ut ab altero *condemnatio*, sic ab altero *iudicium probans* redundat, qui non χοϊκός, sed ἐπουράνιος est.

Ut in priore nostrae disquisitionis parte prima in censum veniebat comparationis pars, sic altera nobis hic exploranda est quae invenitur Rom. V : 15—19 et 1 Cor. XV : 45—49.

Ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ καὶ ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι τῇ τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τοὺς πόλλους ἐπερίσσευσε (vs. 15).

Incipit Paulus a gratia divina; si constat, quod in protasi dixerat: per unius peccatum plures esse mortuos, multo certius est (πολλῷ μᾶλλον) hanc Dei gratiam et donum, cuius gratia est caussa, in plures manare. Est haec δωρεά, ut apparet e sect. 17, δωρεὰ τῆς δικαιοσύνης et in primis conspicua est in Dei gratia, quam in Christo nobis manifestavit. Non enim Paulus hic de Christi gratia loquitur, ut nonnulli putant, a Dei gratia distinguenda; sed Dei gratiam ulterius

describit, in Christo hominibus patefactam. Et quid inde manat in eos, qui hanc gratiam acceperunt? *Οἱ τὴν περισσείαν τῆς χάριτος καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης λαμβάνοντες ἐν ζωῇ βασιλεύσουσι διὰ τοῦ ἑνὸς I. X.* (vs. 17). Qui hanc abundantem gratiam, quam Deus iis obtulit, et donum, quo *τὴν δικαιοσύνην* consequi possunt, fide acceperunt, hi etiam per unum I. C. regnabunt, vitae participes iam hac in terra, sed multo magis etiam post mortem. *Τὸ χάρισμα ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων εἰς δικαίωμα* (vs. 16). Multa peccata — quemadmodum *unus* peccator effecit ut iudicium ferretur *condemnans* — ansam dederunt ut beneficium Dei gratia nobis concederetur, quo *probans* de nobis fieret iudicium. *Δι' ἑνὸς δικαιώματος εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς δικαίωσιν ζωῆς* (vs. 18). Plures interpretes voc. *δικαίωμα* h. l. aliter explicant atque sect. 16, Christi meritum intelligentes, sive in tota eius vita sanctissima sive in obedientia, quam in primis in sua morte Deo praestitit. Nobis nulla caussa esse videtur cur non hic, ut supra, ei notionem tribuamus iudicii Dei *probantis*, in primis, ut animadvertit Hengelius, quia vs. 15 et 17 *τῷ παραπτώματι* Adami non opponitur Christi meritum, sed Dei *χάρις* et *δωρεά* et *ἡ περισσεία τῆς χάριτος καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης.* Multum etiam disputatum est de verbis: *εἰς πάντας ἀνθρώπους*, quibus Paulus significat omnibus hominibus viam ad *δικαίωσιν* patere, quamquam minime omnes coram Deo probabantur, quia multi fidem non

habebant in Deo, quae sola est conditio, qua coram eo probari possent.

Itaque hoc dicit Apostolus: per unum iudicium *probans* factum est ut omnes πιστεύοντες a Deo probarentur et ita vitae aeternae participes fierent.

Διὰ τῆς ὑπακοῆς τοῦ ἑνὸς δίκαιοι κατασταθήσονται οἱ πολλοί (vs. 19). Christi obedientiâ, quam in tota sua vita et in primis in morte Deo praestitit, factum est ut plures, ab eo ad fidem Deo habendam adducti, ab eo in proborum classe collocarentur. Futuro utitur Paulus, quia hanc δικαίωσιν non proponit temporis momento locum habentem, sed contra credebat alium alio tempore ad fidem adductum iri et ita τὴν δικαιοσύνην consecuturum esse. Paucis Apostoli argumentationem sic tradere licet: est arcta necessitudo inter Christum et illam generis humani partem, quae se ei iunxit, quemadmodum inter caput et membra. Iam vero ille peccati erat immunis, ad mortem usque Deo perfectam obedientiam praestabat; hac vita sanctissima factum est ut eius asseclae ad fidem accedant, eodemque vitae principio imbuantur, quo ille conspicuus fuit et ita coram Deo probentur. Non igitur Christi merito a Deo iusti declarantur, sed Christus viam iis aperuit ad fidem, quae conditio est τῆς δικαιοσύνης.

Iudicium Dei in eos, qui Christo devincti sunt, latum non est *condemnans*, sed *probans*, et sicut ille, quatenus mortuus est, tantum peccato est demortuus,

caeteroquin vero Deo vivit, sic etiam hi, cum eo peccato demortui, non amplius moriuntur, sed vitae aeternae participes sunt facti. Ut primam comparationis partem, sic etiam alteram et Augustinus et Pelagius perperam tradiderunt. Non magis enim nos Christi merito iustos esse declaratos docet Paulus, quam nos tantum ad exemplum Christi sanctam vitam agere statuit. Est arctum vinculum inter Christum et eius asseclas: sanctissima igitur eius vita factum est ut nos ad fidem ducamur et ob nostram ipsorum fidem coram Deo iustificemur, quia fides *λογίζεται εἰς δικαιοσύνην.*

Ὁ ἔσχατος Ἀδὰμ ἐγένετο εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν (1 Cor. XV : 45). Ultimus Adamus ita factus est ut sit spiritus; in eo non *ψυχή*, quemadmodum in primo Adamo, primas agit partes, sed *πνεῦμα;* tota eius vita hoc principio regitur, quia alterum principium animale sibi subiecit. Et hoc *πνεῦμα* dicitur *ζωοποιοῦν:* est enim spiritus tantum verae vitae principium, aeternam vitam cum hominibus communicans.

Praeterea secundus homo, ut hic appellatur, est *ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ* (vs. 47), quae verba variis modis interpretati sunt V. D. Multi cogitabant de Christi origine coelesti, minus recte, ut apparet e sect. 48, ubi idem ille *κύριος ἐξ οὐρανοῦ* dicitur *ἐπουράνιος*, quo vocabulo Christi coelestis dignitas indicatur. Quemadmodum igitur ille erat coelestis, tendens ad coelestia, humilia spernens, sic etiam eius sectatores sunt *ἐπουράνιοι*, et iam hac in terra et magis etiam in vita

coelesti (vs. 48). Imaginem tulerunt primi Adami et saepius, quamdiu in hac vita sunt, humilia et caduca magis quam coelestia appetunt; sed alterius Adami imaginem ferent, et in primis quidem post mortem, quando nihil eos detrahet a sublimibus et coelestibus appetendis, sed in hac quoque terra (vs. 49).

Itaque Christus Paulo est alter generis humani parens, primi parentis *antitypus*. Omnes eius sectatores informari oportet ad eius imaginem, quam aliquando ferent. Iam vero ille peccati erat immunis, πνευματικός, coelestia appetens; cui arctissime devincti, omnes humilia spernere et peccato demori debent.

Novo hoc spiritu imbutos, fidem Deo habentes, Deus, gratia sua et salva sua ipsius iustitia, in proborum ordinem refert.

EPILOGUS.

Ad finem disputationis nostrae quum pervenerimus, paucis memoriam repetere iuvat viae, quam ingressi sumus. Nobis, Paulum Apologetam religionis christianae proponere cupientibus, non magis sufficiebat eum audire *positive* rem suam defendentem, quam *negative* probantem, caeteras religiones ad hominum salutem parum aptas esse. Utrumque erat coniungendum, ne Apologetae imagini quid deësset. Paulus naturam religionis ponebat in δικαιοσύνῃ Θεοῦ, in vera illa iustitia, quae coram Deo probatur, quemadmodum Iudaei, quamquam hi diversa via eo tendebant; Gentibus etiam hoc erat summum, ut arcto vinculo cum Diis coniungerentur. Prima parte probare conati sumus neque Gentes, neque Iudaeos eam assequi potuisse.

Deus Gentibus se patefecerat in natura, conscientia et historia, ex quibus fontibus illae eum cognoscere potuerant. Attamen inciderant in idololatriam et morum

pravitatem; veram salutem, *δικαιοσύνην Θεοῦ*, non consecutae sunt.

Frustra quoque Iudaei *ἐξ ἔργων νόμου* quaerebant *δικαιοσύνην*. Lex, quamquam ipsa bona et sancta, praebet accuratam peccati cognitionem, qua pugna exoritur inter hominis *σάρκα* et *πνεῦμα*, et hoc illi cedit; sic legis ope peccatum re vera vires acquisivit. Et homini, qui omnibus legis praeceptis obsequi debet, lex nullum affert ad ipsam observandam adiumentum. Iam vero, quum nemo omnia legis praecepta teneret, sub legis oeconomia unusquisque erat *ὑπὸ κάταραν*. Sed neutiquam hoc legis consilium erat ut homines *τῆς δικαιοσύνης* compotes fierent. Lata est ad tempus, non hominis emendandi caussa, sed ut eum praepararet ad aliam conditionem, qua allata legis imperium cessaret: finis legis erat Christus.

Et quod ad Iudaeorum conditionem moralem attinet, multa quidem hi in Gentibus reprehendebant, sed eadem facientes se ipsos damnabant. Iudaeos autem multo minus excusari posse quam Gentes, Paulus probavit variorum, quibus illi his praestabant, iurium commemoratione. Caussam, cur totum genus humanum ante Christum *δικαιοσύνην Θεοῦ* haud consecutum sit, duce Paulo, invenimus in omnium hominum cum Adamo coniunctione: a primo parente peccatum transiit ad omnes eius posteros; quemadmodum in illo *τὸ ψυχικόν* primas egit partes, sic etiam in omnibus eius posteris huic *τὸ πνευματικόν* cessit.

Hinc nobis apparuit frustra veram iustitiam extra religionem christianam quaeri. Porro Paulum tuentem audivimus religionem christianam contra eos, qui τὴν ἀνάστασιν νεκρῶν, cardinem totius Euangelii, negabant.

In altera disputationis parte *positive* probavimus δικαιοσύνην Θεοῦ hominibus per Christum offerri. Primum vidimus de Dei gratia, cui hominum salutem tribuendam esse docuit Paulus. Tum diximus de fide, τῆς δικαιοσύνης conditione, deque eius indole, ut prorsus nobis constaret, quomodo Deus, salva sua ipsius iustitia, hominem, fidem in eo habentem, iustum declaret. Tandem ad Christum oculos convertimus, homines liberantem a iugo legis et peccatorum pristinorum, qui praeterea iis auctor est ut in eius societate peccato magis magisque demoriantur. Et si caussa agitur, cur homines per Christum huius salutis compotes fiant, vidimus e mente Pauli Christum esse alterum generis humani parentem, a quo in omnes eius sectatores iustitia et vita diffunduntur.

His lectis, nonnemo fortasse quaerit, num huic Pauli doctrinae adhuc sua constet vis et auctoritas. Et continuo quidem unusquisque concedet, nihil praeclarius, nec religionis naturae magis conveniens excogitari posse quam arctam necessitudinem inter Deum et hominem, ut homo libere Deum tamquam filius Patrem adeat, quos nihil separet, sed intima iungat consuetudo. Sed quomodo homo ad talem conditionem perveniet, quam Paulus dixerat τὴν δικαιο-

συνηγν Θεοῦ? Iudaeorum more, omnibus legis cuiusdam praeceptis observandis, ita ut eius opera coram Deo meritorum locum teneant et nihil ipse debeat gratiae divinae, sed tantum exigat quod ei debetur? Haec via a vera religione prorsus est aliena; et praeterea experientia luculentissime docuit, neminem ἐξ ἔργων νόμου veram iustitiam consequi posse. Superest alia via, a Paulo ἡ πίστις dicta, quam ingressus homo Deo confidit, se totum ei tradit, et ad divinam voluntatem conformare voluntatem suam conatur. Sed quomodo nos hanc viam inire possumus, peccatorum conscientia solliciti et perturbati, quibus etiam persuasum est quotidie nos labi et a recta via detrahi? nonne timore percellemur, cogitantes Deum esse iustum? Neque philosophia, quantumvis praeclara, nodum solvere potest, quomodo Deus, haud violata sua ipsius iustitia, nos quotidie peccantes amore suo prosequi pergat. Hoc una explicat religio christiana. Habet enim haec unicum illum δίκαιον, τὸν τῆς πίστεως ἀρχηγὸν καὶ τελειωτήν (Hebr. XII : 2), qui in tota sua vita et in primis in morte perfectam Deo obedientiam praestitit. Sanctissimum illum in cruce pendentem adspicientes, religionem non in obtemperatione legi, sed in vita Deo dicata positam esse censemus, peccatum autem in carne damnatum videmus. Cum Christo coniuncti non possumus non ipsi demori peccato; eius cruce perspicuum nobis fit Deum, etsi iustum, nobis, peccatoribus, peccata nostra condonare et, quamquam longe abest ut

iam ad perfectionem pervenerimus, nos tamen iustos habere posse. Deus enim, temporis finibus minime circumscriptus, homines in Christo iam *δικαίους* habet, quales aliquando suut futuri, quia cum eo velut membra cum capite coniuncti, necessario in via perfectionis progrediantur. Sic etiam Christus nobis erit via ad fidem in Deo habendam, ad veram salutem vitamque aeternam consequendam. Semper enim Christus manebit *ἡ ὁδὸς καὶ ἡ ἀλήθεια καὶ ἡ ζωή* (Joh. XIV : 6); nam *οὐκ ἔστιν ἐν ἄλλῳ οὐδενὶ ἡ σωτηρία* (Act. IV : 12).

QUAESTIONES.

I.

Minus recte Baur (*Paulus* pag. 525): „die *δικαιοσύνη Θεοῦ* hat eine doppelte Form, in welcher sich ihr Begriff realisiren kann, sie ist entweder *δικαιοσύνη ἐξ ἔργων νόμου* oder *δικαιοσύνη ἐκ πίστεως*."

II.

Formula *ἡ δικαιοσύνη Θεοῦ* Rom. III : 5, 25, 26 mihi explicanda videtur: Dei ipsius iustitia.

III.

Paulus leges grammaticae non tam accurate observavit, ut ubivis distingueret inter *νόμον* et *τὸν νόμον*. Hinc non assentior Hengelio, alterum explicanti generalem legis notionem, vel legis regionem ab alia distinctam, alterum legem Mosaïcam, sicuti ab aliis legibus secreta est.

IV.

Consilium legis Mosaïcae, quod indicatur Gal. III : 19, contrarium esse illi, quod occurrit Rom. V : 20, contendimus.

V.

Formulae Paulinae *πίστις Ἰησοῦ Χριστοῦ* interpretatio de fide, cuius I. C. auctor est, menti Paulinae convenit.

VI.

Vocabulum *ἱλαστήριον* Rom. III : 25 significare non potest *operculum arcae foederis.*

VII.

Immerito Reuss (Histoire de la Théologie chrétienne, Ed. II p. 163): „il est impossible de ne pas voir que, dans le passage 2 Cor. V : 14, 15, la préposition *ὑπέρ* ne signifie pas simplement *au profit de,* mais bien *à la place de;* sans cela le raisonnement de l'apôtre n'aurait pas de sens et la conclusion ne saurait être dérivée de la prémisse."

VIII.

In sectis Ecclesiae Corinthiacae, quae memorantur 1 Cor. I : 12, duae maiores partes sunt distinguendae, quarum ab altera parte stabant qui dicebant se esse *Παύλου* et *Ἀπολλώ*, ab altera *οἱ τοῦ Κηφᾶ* et *Χριστοῦ.*

IX.

Marcus XVI : 9—20 est additamentum serioris aetatis.

X.

Ioh. VI : 69 legendum esse censeo: *ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ.*

XI.

Non Iudam e scriptore alterius Petrinae, sed contra hunc ab illo hausisse apparet.

XII.

Perperam Remonstrantes Reformatorum dogma de *perseverantia sanctorum* oppugnarunt.

XIII.

Caedis Parisiensis, nocte S. Bartholomei perpetratae, consilium dudum ante agitatum esse, negamus.

XIV.

Falsa est sententia eorum, qui contendunt Valdenses iam diu ante Reformationem fidem Ecclesiae Romano-Catholicae prorsus reiecisse.

XV.

Recte Athanase Coquerel (*Observations pratiques sur la prédication*, pag. 85, 1860): „Faut-il extraire le sujet du texte ou chercher le texte pour le sujet? Je réponds: l'un et l'autre, selon les cas."

XVI.

Egregie idem pag. 203: „celui qui se met à improviser sans s'être suffisamment approvisionné d'idées, avant de s'être approprié le contenu de la Bible et surtout de l'Evangile, et lorsqu'il n'as pas encore maîtrisé la langue, celui-là, en fait d'éloquence, abdique et se condamne à une infériorité dont il ne se relèvera pas."

ROVERS, Marinus Anne N.
Disquisitio de
Paulo religionis
christianae apologeta.